





Anno dñi 1722.

1. De recto corticis chinæ usu in febribus. Gornemann.
2. - etatis mutatione morborum causa & remedio. Pudeus.
3. Observationes circa curationem quartanae. Lindenbaum.
4. De Medicis morborum causa. Weis.
5. De apoplexia. Adami.
6. De febribus mesentericis. Lucius.
7. De animæ in corpus potentia. Borosnyai.
8. De morbis oculorum præcipuis recta medendi ratione. Rederer.

Anno dñi 1723.

9. De noxis ex remediis domesticis incongrue applicatis. Lindner.
10. De cataracta. Heinnici.
11. De febre erysipelacea. Dietrich.
12. De vomitu cruento. Gutterf.
13. De diæta virginum. Berens.
14. De lesionibus externis, ab acido, veneni ac philtis. Sibirius.
15. De ætate conjugio opportuna. Kesler.
15^e Kesler, Johann Daniel: Entzültnungsgeschichte zur Factor Würde. Juli 1729.
16. Trias dissert. physico-chymicarum recusarum: 1) de generatione salium; 2) de regulo antimonii medicinali; 3) de mercurio et medicamentis mercurialibus.
17. Summa totius doctrinae Christianæ.
18. De herba Borith. epistola gratulatoria.
19. Catalogus dissert. et scriptorum Hoffmannianorum.
20. De lapidibus figuratis circa Nordhusam. Leseri epist.
21. Epist. gratulatoria ad auctorem Summæ totius doctrinae Christianæ.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

POTENTIA ET
IMPOTENTIA ANIMÆ
HVMANÆ
IN CORPVS ORGANICVM
SIBI JVNCTVM.

QVAM

PROPTIO SVMMO NVMINE

EX CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSÆ
FACVLTATIS MEDICÆ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM SOLENNI CAPESSENDIS

H. L. Q. S. D. Octob. A. MDCCXXIIX.

SOLENNI AC DECENTI PHILIATRORVM AC PHILOSOPHO-
RVM VENTILATIONI SVBJICIT

MARTINVS NAGY BOROSNYAI,

TRANSYLVANO - HVNGARVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis JO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

2

Blatt 2
[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
JOSEPHO
S. R. J. COMITI
TELEKI DE SZEK,
INCLYTI COMITATVS ALBEN-
SIS TRANSYLVANIE
COMITI SVPREMO,
REGIE IN TRANSYLVANIA TABVLÆ
JVDICIARIE ASSESSORI PRIMARIO,
ECCLESIARVM REFORMATARVM
VT ET ILLVSTRIS COLLEGII
N. ENYEDIENSIS
CVRATORI SVPREMO,
DOMINO ET PATRONO
GRATIOSISSIMO.

NEC NON

V I R O
MAGNIFICO ILLVSTRI ATQVE
EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
FRIDERICO
HOFFMANNO

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ h,t,

PRO-RECTORI,

COMITI PALATINO CÆSAREO,
CONSILIARIO MEDICO ET PROFESSORI REGIO,
SOCIETATIS SCIENTIARVM CÆSAREÆ, REGIÆ
BRITANNICÆ ET BORVSSICÆ
SODALI,

PATRONO AC PROMOTORI
MAXIMOPERE COLENDO.

Disquisitionem hanc Philosophico-Medicam
mente manuque devotissima offert ac con-
secrat.

AVCTOR.



CONSPECTVS

TOTIVS DIATRIBÆ SYNOPTICVS.

*Prooem. Philosophiam Hominis tradere est res ardua, & eam diverſi diverſimode tradunt. §. I. Miſſus aliis Philoſophiæ Hominiſ Problematicis, unicum ſe-
ligitur. §. II. Tria de unione anima cum corpore Systemata, ſcil. Influxus, Cauſa-
rum occasionalium, & Harmonia Preſtabilitæ, recensentur. §. III - VI. De eo, an
& quantum anima in corpus ſuum agere poſſit? tres ſententiæ enumerantur, ſcil.
Communiffima, Leibnitiana, & Sebaltiana. §. VI. Communiffima eligitur, reliquæ
in duobus extremis hærentes modeſte rejiciuntur. §. VII. Termini in Themate con-
tenti explicantur, & ſcholia ac diſtinctiones neceſſariæ tradantur. §. VIII. Tres
motuum in nobis ſpecies, ſcil. voluntariorum, ſpontaneorum, ac mixtorum, descri-
buntur. §. IX. Animam eſſe cauſam vere efficientem motuum voluntariorum pro-
batur. §. X. Spinoza notatur. §. XI - XXI. Rationes quædam redduntur præ-
gnantes, cur Systemati Harmoniæ præſtab. adeoque hypotheſi animæ in corpus ſuum
influxum cauſalem neganti, ſubſcribere hæud liceat? §. XXI - XXV. Exceptiones
ex Systemate Harm. præſtab. contra Systema Influxus deſumi ſolitæ dilantur. §.
XXV. Ratio redditur, cur jam non prolixius demonſtretur potentia animæ in cor-
pus? §. XXVI - XXX. Motuum voluntariorum instrumenta, ratio, ac decurſus
deſcribuntur. §. XXX - XXXIX. Functionum ſpontaneorum ratio exponitur, & in
cordis ac cerebri motuum cauſam inquiritur. §. XXXIX. XL. Status queſtionis
figitur, quod ſcil. anima motus ſpontaneos hæud producat & dirigat; & præpa-
ratio ſit ad argumenta. §. XLI - LVII. Variis argumentis probatur, quod anima
non ſit cauſa efficiens motuum ſpontaneorum, quæ paſſim ab exceptionibus vindic-
antur, & illuſtrantur. §. LVII - LXX. Difficultates vel objectiones, quibus ne-
gatur, quod motus corporis noſtri ſpontanei ex cauſis phyſicis & mechanicis prove-
niant; & e contra, quod eos anima produceret, affirmari ſolet, diluuntur. Ac
paſſim impotentia animæ in eorum productione amplius illuſtratur ac concluditur.
In §. LXVIII. vero & LXIX. Systema Medicinæ rationalis mechanicæ ab accuſa-
tioni-*

tionibus defenditur, & ejus methodi precepta quaedam proponuntur. § LXX-LXXXVII. Applicatio fit. h. e. per partes Medicinæ utilitas ac necessitas Sententiæ, qua motuum spontaneorum mechanica & physica explicandi ratio, ac animæ in iis producendis adynamia, in precedentibus asserta fuit, ostenditur; eaque passim rationibus ac exemplis amplius illustratur, ac ab exceptionibus vindicatur. In specie fit applicatio. §. LXX. & LXXI. In Physiologicis, ubi simul phenomena per causas intentionales & finales explicandi ratio rejicitur. §. LXXXII-LXXXIX. in Pathologicis, ubi negotium hemorrhoidale rationaliter explicatur. §. LXXXIX-LXXXVII. in Therapeuticis; Ubi signanter physica medicaminum operandi ratio vindicatur; moralis vero rejicitur. Natura humana distincte explicatur. Prælici clinici idea describitur. Denique §. LXXXVII, Medicinæ rationalis Cultoris methodus ac officium succincte concluditur.

PROOEMIUM.

Quanquam Philosophus res intelligentes & corporeas extra Hominem in macrocosmo positas sigillatim & successive, utpote separatim ab invicem existentes & subsistentes, adeoque distincte suæ subjicere contemplationi queat; complures tamen sunt difficultates, quæ in progressu occurrunt, quæque filum philosophematon sæpius interrumpunt, imo abrumpunt. Quanto vero magis id experietur dum Hominem suo subjicit scrutinio? in quo non modo eadem, quæ in genere rerum illarum cognitionem accuratam remorabantur, difficultates, recurrunt; verum etiam novum quiddam, & phenomenon admodum singulare se objicit, admirandum nempe illud rerum natura tam diversissimarum Mentis sc. & Corporis conjugium & arctissima unio. Cuius contemplatio & explicatio varia Philosophorum torquetque hodieum ingenia. Adeo ut si quis prætenderet aut speraret fore, ut Philosophi in eandem aliquando de objectis Philosophiæ conspiraturi sententiam, eandemque philosophandi rationem ingressuri sint: is desperet necesse est dum videt Homines, quos Natura adeo simillimos sibi invicem effinxit, *diversos* nihilominus *diversa* de se ipsis imo opposita sentire et in *diversissimas* scindi opiniones.

Si quod in theatro philosophico obiectum cognitum arduum, certe Rei ex mente & corpore compositæ scrutinium tale est. Unde videas plerosque veterum Philosophorum in aliarum potius rerum, quam Hominis contemplatione ingenium suum exercuisse; alios parce admodum & jejune in eundem commentatos & contentos fuisse illum, jam Microcosmi titulo, iam aliis physicis vel moralibus offatis insignivisse; alios terminis & definitionibus notionalibus potius quam realibus

libus rem magis intricasse, quam explicasse; alios vero, in primis recentiores, magis quidem heic suo functos fuisse officio, ita tamen, ut prout maiori vel minori subsidiorum in Hominis cognitione scitu necessariorum noticia imbuti fuerant: ita etiam magis vel minus sufficienter rem expediverint. Persvasissimum enim habeo, quod non una vel altera sed multiplice scientia instructus esse debeat, quem universam Hominis Philosophiam adornandi cupido incessit; ut enim taceam, cognitionem Revelatorum supernaturalium, ad quæ attendendum omnino est de Homine philosophaturo, ut iis conformia potius, quam contraria nectat philosophemata, Methaphysicus & Physicus is sit oportet, cum nobilior Hominis pars Methaphysicæ, sequior vero Physicæ obiectum sit. Verum enim vero nondum hæc sufficiunt, neque enim satis est Hominis partes divisim considerasse, corpusque organicum ut materiam saltem examinasse, sed coniunctim quoque illæ in Toto composito attendendæ, & corpus ceu vivum cum suis functionibus perlustrandum est. Ut adeo Medicinæ rationalis quoque cognitio in primis desideretur; hæc enim est quæ admirandæ illius unionis effectus propinquius quotidie observat, conditionem mentis variam ex vario corporis statu attendit, actionem & passionem mutuam penitus intuetur, & in Homine tam status sani quam morborum, effectuumque inde in actiones totius Compositi lege unionis resultantium, historiam, plenius rimatur, miratur, ac moderatur. Unde haud mirum est, magnos interdum Philosophos Medicinæ rationalis ignaros in suis de Homine meletematis lapsos: & vicissim Celebres in Arte Medica Viros melioris Philosophiæ noticia destitutos simile naufragium passos fuisse.

S. I.

Quod in Homine Mens seu Anima rationalis Corpori unita sit, haud ab homine, cui sana in sano corpore mens est, ambigitur; in quo vero *Unio & Commercium* duarum harum substantiarum consistat, non æque inter omnes Philosophos convenit, cuius dissensus causam præcedente pericopa attigimus. Varias autem variorum universa hac de materia opiniones ab ipsa Philosophiæ infantia repetere operæ pretium heic non est, sæcundam siquidem hanc materiam microcosmicam minime totam iana meam facio; præterquam enim quod plura in ea obvia sint problemata a scope meo, qui maxime medicus est, aliena, vel succinctam duntaxat eius tradere epitomen, prolixus nimis foret labor. Unicum igitur impræsentiarum, idque nobilissimum, & in foro quoque Medico, hodie in primis, agitatum Problema, quod Titulus huius Dissertationis satis indicat, depromere collibitum est.

S. II. Priusquam vero ad Thematis mei pertractationem accedam, ut aliqualis lux historica eidem affundatur, e re est præfari: *Quæ ad historiam Thematis explanationem*

Quod *Unionem mentis cum corpore* maxima pars Philosophorum,

faciunt, præmit-
tuntur.

universus ordo Theologorum, imo universum genus humanum (qui enim dissentiant collati cum consentientibus numerum haud faciunt) aut expressis verbis, aut minimum re ipsa, statuat esse *physicam*, h. e. quod anima in suum corpus organicum efficaci virtute *insuat*, seu revera agat, & corpus organicum vicissim animam suis motibus *afficiat*: Paucos vero alios esse qui unionem hanc doceant saltem *metaphysicam*, seu adeo nudam esse, quod anima & corpus in invicem penitus non agant. Et hi vicissim in duas abeunt partes, dum aut asserunt quod anima & corpus minime in invicem agant, sed Deus ipsemet *immediate* semper *occasione* cogitationum mentis certos in corpore motus, & occasione motuum corporis certas in illa cogitationes producat; aut affirmant mentem omnia agere absque corporis ministerio, & hoc vicissim omnes suos motus absque

Tria de unionem
mentis cum cor-
pore Systema-
ta.

illius causalitate peragere, operationes tamen utriusque per *harmoniam sive præstabilitam* sibi invicem correspondere. Unde tria hodie hac in materia numerantur systemata, sc. *Systema Instinctus physici*, quod totius generis humani semper fuit eritque: *Systema Causarum occasionalium*, quod eorum fuit commentum, qui aut

Deum cum creaturis ducere Spinoza confundere, aut omnem debitam causis secundis causalitatem abnegare allaborarunt: Et *Harmonia præstabilita Systema*, quod Ill. LEIBNITIVS concepit, & Celeb. CHRISTIANVS WOLFFIVS, qui *Transcendentalia Leibnitiana* in systematis formam redegit, ad umbilicum perduxit. His jam præmissis, præcipuarum de eo: *An & quantum anima humana in suum Corpus possit, quid ve non possit?* sententiarum ichnographiam stylo Hypothesibus & earum analogiæ haud difformi subnectam; tres vero illarum hodie in primis celebrantur,

Sententiarum
de anima poten-
tia prima, est
Communissima.

§. III. *Prima* est antiquissima & communissima, omnium quippe hominum ad proprias actiones rite reflectentium calculo comprobata; quod nempe Anima humana certos in Corpore sibi unito motus producat & dirigat, v. g. *manus, pedes, &c.* pro suo lubita movere ac regit; certos vero motus, ut pulsus Cordis perennem, concoctionem ciborum, &c. physice nec efficiat neque dirigat, utpote illa inscia imo etiam invita peragi solitos. Philosophi & Medici qui huic subscribunt sententiæ, quoniam prout in Macrocosmo rerum naturalium phenomæna & effectus non ex qualitatibus occultis, sed maxime manifestis motu nempe, figura, mole, ac structura, &c. corporum, per rectam rationem, locuplete experimentorum Mechanicorum & Physicorum (his enim solis corporum vires innotescunt) assidua Neotericorum industria demonstratorum penu suffultam, explicant & demonstrant; ita etiam in Microcosmo eos motus quos Anima non producit, sed sublimiori & in foro Philosophico iam recepto *Mechanici* appellantur. Hi tamen

tamen Physicæ & Medicinæ rationalis Mechanicæ Cultores infinitis parasangis distant a Mechanicis unionem physicam negantibus; *illi* enim ita corpus hominis in mundo collocant, ita illud ab atmosphæra circumstante et ingestis variis affici, & certos in eo motus ex solo ejus mechanismo provenire statuunt, ut simul Animæ suam in illud jus & influxum ambabus ulnis largiantur; *hi* vero tanta cum necessitate corpus humanum ad unicam mundi machinam connumerant, quanta ad horologium rotula referri solet, adeoque Animam omni in corpore suum potentia defraudant.

§. IV. *Altera est Hypothesis Leibnitiana*, quæ omnem Animæ in suum Corpus potentiam abjudicat, fingit nempe illa ex *hypothesis Leibnitiana* mine *duplex automaton*, spirituale sc. & corporeum; ac docet, quod Anima necessitate naturæ suæ omnes suas ideas ex se ipsa ordine non interrupto absque ullo corporis organici ministerio evolvat; imo illas ipsas eadem serie evolutura foret, licet nec corpus eius organicum, imo nec mundum corporeus existeret. Corpus vero humanum ad unicam totius mundi machinam connumeratum omnes & singulos suos motus, etiam rationalem oris loquelam, & manus scriptionem &c, ex immutabili universalis in unica mundi machina mechanisimi, necessitate & ordine peragit, absque omni causali animæ humanæ influxu ac directione; imo eosdem eodem plane modo in hoc mundo peracturum foret, licet anima ipsa non existeret, v. g. Si anima Iulii Cæsaris altero statim ab eius creatione die annihilata fuisset, corpus tamen Cæsaris omnes motus, sermones, &c, eadem serie usque ad eius confossionem peracturum fuisset, quam præsentem animam peregit. Licet vero anima & corpus in invicem minime agant, earum tamen operationes per *harmoniam* sibi invicem respondent, ut v. g. dum aliquam animam ex se ipsa evolvit ideam, tunc plane certus eiusmodi motus in corpore, mutationem suam virtute pure corporea passo, succedat ac coincidat, qui illi ideæ respondeat: & vice versa; eo quod Deus talem Harmoniam *præstabiliverit*, utpote cui non fuit impossibile duplex eiusmodi automatum condere. Et hæc Harmonia illustrari solet simili a duobus horologiis iuxta se collocatis & simul sonantibus desumpto, quorum motus sibi invicem exacte respondent, licet neutrum in alterum sua causalitate influat.

§. V. *Tertia est Hypothesis*, quæ etiam *unionem physicam* cum prima §. III. proficitur; *universalem* tamen Animæ in suum Corpus *Tertia est Stahlianæ* potentiam adstruit, seu omnes in Corpore motus Animæ attribuit. Fuerunt quidem ex Veteribus tam Medicis, quam Philosophis, qui eam fovisse videntur; ast plerique adeo obscure, dum animam multiplicarunt, & varias facultates retentives, attractrices &c, commenti sunt, ut vix satis intelligi possint. Verum ILL. G. E. STHALIVS Celeb. in Arte Medica Vir (quem honoris causa nomino) ante paucos annos, omnes corporis nostri actiones aperte &

& unice *Animæ rationali* detulit. Supponit vero hoc Dogma pro Principio, Animam esse *universale Movens* in corpore nostro vivo, cui universam Theoriam & Praxin Medicam superstruit, scilicet asserit: In corpore nostro organico ut ut artificiose & mechanice structo, ex mechanica tamen ejus structura automa-
passive se habere; sed *Animæ rationalis* nostra (seu *Mens*: seu *Principium Movens Vitale* interno quodam sapienti & subtili *sensu vitali* præditum in corpore *vitaliter*, & omnia ad certos *finis*, operans: seu *Natura humana*; hæc enim pro eodem in hac Hypothesi habentur:) omnes & singulos in corpore motus tam voluntarios, quam vitales & naturales dictos, ex præresi, *intentione* sapiente ac *æstimatione morali* producit, exercet dirigitque, & Corpori suo Organico, quod in utero efformavit ac struxit, continuo vitam dat. In statu itaque sano Anima motum partium solidarum *tonicum* & fluidarum *progressivum* jugiter administrando, per secretionoes & excretionoes varias Corpus, ex sua natura ad putredinem valde pronum, perpetuo conservat & ab interitu *vindicat*. In statu vero præter naturali seu morbofo materiales causæ non sunt *efficientes* morborum vel motuum morboforum, verum tantum *occasionales*, hoc est non ab illis, sed *propter* eas motus sunt: sapiens nempe illud Principium pro salute Corporis jugiter interne excubans, ex præsentia materiæ in corpore peccantis & periculum minantis (v.g. *Plethoræ* ex qua omnes ferè morbos hæc hypothesis deducit) occasionem capit insurgendi & pugnandi adversus eam, ita ut motus vitales quos in statu naturali placide saltem administrabat mox materiæ illi proportionaliter *intendit*, eorumque ope illam subigit, præparat & e corpore eliminat; unde motus in morbis intensi non statim pro morbofis, sed potius summe *salutaribus* sapientis Naturæ seu Animæ *moliminibus* habendi sunt. In Therapia ipsa medicamina parum, imo pleraque physice plane non operantur, seu sanitatem non restitunt; sed occasionem tantum dant animæ ut hos vel illos motus præstet in corpore, v.g. ex Anodynis *occasionem accipit* motus a se ipsa nimis intensos & dolorificos remittendi vel intermittendi: ex Stimulantibus vero motus a se languidius institutos augendi, &c. Adeoque Anima uti sui corporis *efformatrix*, ita etiam ejusdem physice *matrix*, *conservatrix*, imo & *medicatrix* est; & *intentio* ejus semper his respectibus bona est, licet *inventio* interdum erronea sit, v.g. dum ob causæ occasionalis corpori ad-
 verse indolem aut revera deleteriam, aut saltem per errorem ita æstimatam motus aut nimis intendit, aut irregulariter & ad incongrua loca dirigit, aut titubat, aut plane intermitit, & sic corpus ipsum succumbit. Homo itaque morte naturali moritur, quoniam anima se ab *ulteriori vitæ corporis productione* & *administratione abstrahit*, &c.

§. VI. Nemo non attentus videt ita cum Sententiis allatis comparatum esse, ut earum duæ posteriores in duobus versentur extremis: altera nullam, tertia vero omnem vel nimiam Animæ in suum corpus deferente potentiam; prima vero medium quasi teneat locum, dum eidem in certos quidem, sed non in omnes promiscue, motus potentiam adscribat. Examini Hypotheseos §. IV. eo minus prolixè immorabor quo magis illa Methaphysicum respicit forum, dum interim mihi animus potius sit Argumentum meum physiologice explicare & ad usum medicum applicare; operæ tamen pretium est ut infra rationem reddam, cur veram animæ in suum corpus potentiam deferam? Quod vero Hypothesin §. V. atinet, licet ea Sententiæ §. III. quam cum Medicis & Philosophis *Principia Mechanico-Physica rationalia* profitentibus amplector, quoad motuum corporis spontaneorum causam e diametro sit opposita; non tamen eam ex professo refutandam sumo, multo minus dissentientibus dicam scribo, omnium minime Amplif. ejus Auctoritatem, cujus plura in Artem Medicam merita digno aestimare pretio probe nec carpere animus est; neque in sequentibus per antithesin sed potius thesin progredi malim, ita tamen ut dissensionis meæ ab hac hypothesi rationes subjungam, & subinde oppositiones quoque ex illa depromi solitas per modum difficultatum in curriculo obviarum cum modestia ab affectu libera expediam, anticipem, averruncemque; unice in id intentus ut veritatem ex *Principiis rectæ rationis & attentæ experientia* quærere, & prout enui meo modulo corroborare queam. Mea hic facio verba Hippoc. Redarguere ea quæ non recte sunt dicta minime constitui: verum his quæ sufficienter cognita sunt testimonium præbere animus est.

*Prima eligitur,
duæ posteriores
rejiuntur.*

§. VII. Præmissa itaque *historica* Thematis mei explicatione ad *realem* ejus dilucidationem progrediar, & licet illud clare, ni fallor, proposuerim; juvat nihilominus terminos in eo contentos definitionibus perspicuis paullo clarius describere, tum ut primo statim intuitu Lectori appareat in quonam se usu illi a me capiantur, tum ut sequentibus facem quandam præluceam, neque eorum sæpius recurrentium identidem explicationes dare necesse habeam.

*Definitiones
terminorum
Thematis.*

I. Per *Animam* itaque *humanam* intelligo, Partem Hominis immaterialem, finitam, cogitantem seu intellectu & voluntate præditam, actionum suarum conscientiam & Corpori organico ex Placito Dei naturaliter (per mortem enim separatim existit) junctam, adeoque certos in hoc motus producere valentem.

II. Per *Corpus organicum humanum* intelligo, partem Hominis materialem ex variis partibus summa cum sapientia inter se coagmentatis mechanice constructam, ex Voluntate Creatoris *vivam*, seu vitæ propria instructam, & certarum Animæ operationum organon constituentem,

III. Ho-

III. *Hominem* itaque definio, quod sit Res vel substantia per Placitum Divinum composita ex duabus substantiis, Mente scil. immortalifinita, & Corpore organico, certo modo in invicem *agentibus* & ab invicem *patientibus*.

IV. Per *Potentiam* Animæ in suum Corpus intelligo, efficacem & directam ejus facultatem & voluntarem, qua certos & determinatos motus in corpore sano ac integro, & potest & solet ex lege Unionis a Deo posita imperare, producere, ac dirigere.

V. Per *Impotentiam* vero ejusdem intelligo, ejusmodi efficacis facultatis ac imperii defectum, ita ut etiamsi Anima certarum in corpore partium structuram & functiones intelligat v.g. Cordis, &c, easque functiones multo & serio licet nisu producere vellet, non tamen possit, eo quod illæ ipsa *in se* vel etiam *invita* ex *Mechanicismo* corporis ipsius proxime & *physice* fiant, atque perdurent.

VI. Porro dum corpus hominis passim *Machinam* appello, intelligo illud infinita Creatoris sapientia ita esse constructum, ut ad certos & determinatos motus edendos aptum sit. Per ejus vero *Mechanicissimum* intelligo non tantum sapientissimam ejus structuram cum aptitudine ad motum; sed etiam partium ejus functiones, per eandem potentiam motricem & structuram, *mechanice* seu necessario consequentes & determinatas. Iam vero Physiologus, qui Machinæ huius aptitudinem ad motum, ac functiones determinatas, ex partium ejus variarum figura, mole, numero, combinatione ac communicatione, potentia data, legibusque motuum mechanicis æstimare & explicare novit: is nobis *Mechanicus* audit. Denique per motum in hac Machina *pure mechanicum* eum intelligo, qui pro causa habet principium mere corporeum & necessarium. *Motus* vero *voluntarius* is est, qui licet mechanicè, e. partium animæ imperio subiectarum structuræ ac statui conformiter peragatur, a causa tamen, a corpore distinctissima & libera, *Animæ* scil. voluntate, producitur.

Scholia.

Quanam Definitio Hominis melior?

Definitionum harum vel si mavis *descriptionum* demonstrationi haud iam operose incumbam, cum id abunde ab aliis alibi præstitum sit, & præterea cuius sanioris Philosophiæ Fautori illæ per se factis perspicue esse possint. Ne tamen citra rationem prægnantem a vulgari illa Hominis definitione, quod sit *animal rationale* discessisse videar, addo, quod illa sit nimis imperfecta, tum quia Genus habeat remotum, quod corpori potius, quam menti quadrat: tum quod specifica eius differentia Hominem ab aliis spiritibus v. g. Angelis, qui æque dici possunt rationales, haud distinguat: tum etiam quia tota hæc definitio Hominem a serpente per diabolum obsesso, qui æque dici potest animal rationale, non discernat. Licet vero Homo (uti etiam *Θεάνθρωπος*) genus com-

mu-

mune cum aliis rebus *untuocum* ἐν τῷ σώματι loquendo non habeat, cum præter Hominem nulla res sit ex mente & corpore taliter composita; est enim *unum* quid, nempe unum Compositum, & tamen *duo* sunt, seu duæ substantiæ naturæ diversissimæ hominem ut unum quid constituentes: nihilominus in definitione No. III. a nobis data genus adhibitum, Homini magis quadrat quam ullum aliud, & inprimis differentia specif. est accommodatissima; ea enim peculiarissimum, quantum per cognitionem humanam fieri potest, Mentis cum corpore *unionis modum*, qui accuratius Hominem ab aliis rebus, quam ullum quid aliud, distinguit, exprimit, quod nempe anima & corpus in invicem *agant* & ab invicem *patiantur*. h. e. quod illa *libera* & efficaci sua *voluntate* ac decreto *certos* in corpore *motus*, & hoc vicissim suis *motibus certas* in illa *ideas* & *passiones excitare* possit.

Si ulla in materia confusio, quæ mater est errorum, vitanda, & distincti conceptus formandi sunt, sane id in Tractatu de Homine requiritur; occurrunt enim in illo talia, quæ *distinctos* agnoscuat fontes, & vicissim talia quæ *conjunctim* ex diversis fontibus proficiuntur, quæ nisi probe attendantur, facilis erit in errorem lapsus. In toto igitur Homine agnoscuimus & asserimus 1) Animæ propriam esse *vitam* Defin. I. 2) Propriam quoque Corpori adscribimus *vitam*, quæ in motionibus perpetuis & reciprocis solidarum & fluidarum partium ex eius mechanismo dependentibus a Deo posita est, ac conservatur. Def. II. 3) Totum quoque Compositum propria gaudet *vita*, quæ in mutuis actionibus & passionibus partium totum componentium sita est. Def. III. Vitam Animæ esse immortalem ratio & revelatio evincunt; Corporis vero ut & Compositi vitam per mortem tolli ratio, revelatio & experientia demonstrant. Distinguedum ergo iam erit inter *attributa* Hominis, sunt enim in eo 1) quedam soli Animæ propria & priva, uti omnia quæ cogitationem, intellectum & voluntatem involunt. 2) quedam soli Corpori competunt, uti omnia ea, quæ extensionem, impenetrabilitatem, figuram, motumque involvunt, adeoque ex corporis ejusque motus, seu principii, proprietatibus intelligi & demonstrari debent. 3) quedam vero nec a sola anima neque a solo corpore, sed ab utrisque simul proficiuntur, ipsamque Unionem duarum harum substantiarum pro fundamento habent; adeoque merito totius Compositi attributa dicenda sunt, ut sunt sensus externi & interni, affectus seu animi passionēs; in quibus & anima & corpus certo modo, ex lege unionis, suam conferunt symbolum.

Denique jure meritoque distinguendum est inter eam Animæ in corpus suum *causalitatem* & *potentiam*, quæ *causa efficiens* veræ, liberæ, finem & effectum consequentem intelligentis & volentis ideam involvit, ut v. g. cum brachia, &c. moveo, & de ejusmodi veris nominis causalitate mihi sermo est Def. IV. & inter eam *potentiam*, quæ non nisi *Conditionis* cujusdam *necessaria* & fere inevitabilis, ex

Necessaria est distinctio motionis vite & attributorum Hominis.

Distinguendæ sunt effectus, qui ab anima vel ut causa efficiente, vel ut conditione necessaria pendunt.

lege unionis arctissimæ, resultantis ideam gignit; ita v. g. intempestivas lucubraciones & animæ fatigationes profundas, sepe Malum hypochondriacum multorum symptomatum firmate stiparum consequitur, anima ipsa illud nec intelligente, multo minus volente, sed tantum ut conditio necessaria ex lege unionis in toto Composito huic effectui morboso, occasionem subministrante, de hac potentia *indivisa* seu conditione necessaria, effectibusque exinde pullulantibus differere jam mihi haud licet, nisi quod eam, ceu obiectionem palmariam ex hypothesi §. V. de promi solitam, infra brevibus attingam.

§. VIII. His de toto Homine, uti res exigebat, præmissis, ipsam iam Corpus organicum, quod proxime scopo nostro substratum est in suis motibus & functionibus perillustrandum. Quod si igitur de nobis nobiscum ex nostra conscientia & experientia potius, quam hypothesibus huicis philosophari malimus, haud difficulter tres motuum in corpore nostro contingentium species deprehendemus. Primo enim animadvertimus, quod certos & determinatos

Animæ actus, certi & determinati motus in Corpore sequantur, hique dicuntur *motus voluntarii*, quia per imperium efficax seu determinatam animæ volitionem, ex lege unionis ab adorando Numine constituta, producuntur, ut sunt v. g. motus artuum, oris, linguæ, oculorum, &c. & totius corporis locomotivi. Deinde animadvertimus certos & varios in corpore nostro motus incia quoque vel invita anima fieri, hique nobis dicuntur *spontanei* (alias automatici, pure mechanici, etiam in oppositione voluntariorum involuntarii) quales sunt illi, qui vitales, & naturales passim a Physiologis vocantur, v. g. pulsus cordis & arteriarum, omniumque canalium & fibrarum motus constrictorius & relaxatorius, sanguinis humorumque motus progressivus & intestinus, atque hinc dependentes varii secretorii & excretorii motus, item chylicatio, sanguificatio, nutritio, augmentatio, &c. Denique tales in nobis deprehendimus motus vel functiones, quæ absque concursu voluntatis continuantur quidem, per eam tamen varie modificari augeri, minui, possunt, uti sunt, v. g. motus respirationem absolventes, hique motus ex voluntariis & spontaneis *mixti* dici queunt.

§. IX. Motuum voluntariorum *causam* assero esse ipsam hominis animam, eamque non nudam *occasionalem* vel *harmonicam* (quo pacto ne quidem causæ nomen mereretur) sed *efficacem* & revera *efficientem*. Ad hanc vero veritatem philosophando ita pervenire licet: Si abstrahamus tantisper ab experientia, & animam atque corpus separatim in suis essentiis proprietatibusque consideremus, animadvertimus eorum unionem ac mutuam actionum passionumque communionem non posse a priori apodictice demonstrari, & bene quidem illud concludi, quod unio & communitio illa talis concipi & fieri debeat, quæ sit absque confusione & amissione essentialium mentis & corporis; at male inferri, eam esse impossibilem. Siquidem quali-

Motuum voluntariorum causam esse ac animam probatur.

quælibet anima humana lumine naturæ quoque assurgere potest ad cognitionem Creatoris omnipotentis, & intelligit eum, licet *Spiritum*, mundi tamen *corporei* Conditorum esse; adeoque videri nullam involvere contradictionem, quominus *Spiritui* humano *finito, finitam* quandam in *corpus* potentiam attribueri poterit. Imo dum attendit non tantum ideam corporis intellectui suo obversari, sed simul etiam sibi adesse innumeris vicibus *volitiones non immanentes, sed transeuntes*, seu cum serio transeundi desiderio junctas ad mutandum corporis organici, & mediante hoc etiam aliorum corporum statum; *valde probabiliter* a priori colligit se in illud veri nominis potentiam possidere. Dum vero hoc ratiocinium e vestigio & constanter experientia ipsa toto die obvia confirmat, de eadem potentia a *posteriori apodictice* concludit. Ergo qui a priori ad liberrimum Dei animam & corpus arte venientis placitum, effectum hunc admirandum ad eum tanquam causam primam referendo, attendit, & duas has substantias jam non *separatim* saltem in oppositis suis proprietatibus, sed *conjunctim* quoque in amica sua unione perseveratur; & simul a posteriori non fugitive sed attente perpendit, quam varie & pro lubitu vel centies in unica hora anima sui corporis motus efficiat, mutet, suspendat, repetat, determinet; & vicissim quam numerosas & varias nullo sæpe nexu junctas, corpus nostrum in illa exciter ideas; inprimis qui per quotidianam experientiam medicam videt, quam manifesto & palam status & conditio duarum harum substantiarum ab invicem varietur & immutetur: ille haud cum negatione mirabitur quod *immateriale in materiale* vera agere possit: neque unionem animæ cum corpore physicam, seu commercium actionum utriusque reciprocum, ideo negare sustinebit, quod *adequate* comprehendere nequeat, *quomodo* id fiat; ab ignoratione enim *modi* heic minime valet negatio existentiae *rei & effectus* in *experientia* manifestissima fundati; ut potius haec omnibus speculationibus a priori desumptis hic infinitis modis major, litem ab ingenio luxuriante motam peremptorie terminare debeat. Porro omnis *moralitas* ac *religio* tam necessario, quam quod summe necessario exigit ut hanc veritatem in contentanti totius generis humani experientia fundatam amplectamur.

§. X. Spinoza primus maxime Animæ potentiam in corpus negavit, e. g. Eth. p. m. 97. *Nec corpus mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum, neque ad quietem, neque ad aliquid (si quid est) aliud determinare potest. Item: Quando loquimur, id e corporis spontaneo motu fit. Qui credunt se ex libero mentis decreto loqui, vel tacere, vel aliquid agere, oculis apertis somniant.* p. 100. conf. p. 97. 98. Item: *Prout cogitationes rerumque id e ordinantur & concatenantur in mente, ita corporis affectiones seu rerum imagines ad animam ordinantur in corpore &c.* p. 237. Verum pseudophilosophemata Spinozæ jam mitto; neque inter illa & aliorum animæ potentiam in corpus negantium placita parallelismum recludere, nedum concludere, animus est. Saltem recentiore[m] quandam controversiam attingere placet, ut pate-

at Systema Medicinæ rationalis mechanicæ immensum distare ac abhorrere ab hypothesebus animæ potentiam in corpus negantibus.

§. XI. Epitomen ergo rationum addam, cur Hypothesi Harmonicæ Præstab. subscribere nequeam; interim adversum ejus Authoris ac Factorum Personam vel merita ne hilum dicturus. Equidem fateor, illi, qui ill. Leibnitii ac ejus sequacium *monita*: de Philosophiæ primæ emendatione, hypotheseon fictitiarum ac confusarum notionum abstinentia, Principiorum non nisi per experientiam claram vel demonstrationem evidentium commendatione, &c. in Act. Erud. Lips. & passim in suis monumentis extantia vidit; & simul ob eruditionem eorum mathematicam in admirationem raptus fuit, visum iri, quasi a Celeb. Mathematicis non nisi veritates in Philosophiam introduci poterint; adeoque etiam eorundem Harmonia Præstab. recta in philosophiam microcosmi ducat via. Titulus quidem Harmonicæ Præstab. speciosus primo obtutu alicui apparere potest; at si veritatis studio penitus in ejus mysteria introspicere lubet, facile advertet, eam *monitorum* illorum salutarium factum valde denegerem esse.

§ XII. Enimvero Harmoniam præstab. ipsi statim *natales* monstroram & suspectam esse innuunt, quos ex Præfatione Metaph. Wolffianæ repetere licebit, ubi proditum est: *Idealistas* esse qui solos spiritus admittant, mundum vero extra se existere negent, adeoque corpora pro solis ideis spiritus habeant. Unde animæ adscribit facultatem omnes omnino suas ideas absque corporis organici ministerio ex se *volvendi*, & omnia in mundo, licet hic ex eorum opinione non existat, sibi *representandi*. *Materialistas* vero esse, qui nullam admittant substantiam spiritualem, sed saltem corpora; adeoque spiritus non nisi pro viibus corporum habeant. Unde corpori humano attribuunt facultatem *peragendi* omnes & singulos motus absque influxu animæ, quam non admittunt. Cum igitur ii qui physicam animæ cum corpore unionem statuunt explicare nequeant, quomodo anima motus in corpore producat, & hoc vicissim in illa ideas excitet; ideo D. Leibnitius animæ vertit rem hic comprehendendi posse, quomodo nempe anima & corpus in suis operationibus sibi respondeant, si scil. utrumque, & quod Idealistæ, & quod Materialistæ docent simul sumatur & componatur. Atque hac ratione Harmonia præstab. lucem vidit! in qua quidem nec animæ uti in *Materialismo*, nec corporis ut in *Idealismo*, existentia negatur; Idealismi tamen *formalis ratio*, quæ in evolutionibus omnium animæ operationum absque ministerio corporis sita est: & Materialismi *essentia*, quæ in necessaria consecutione omnium motuum corporis absque causali animæ influxu, consistit, adoptatur, ac reservatur. Et sic duæ, maxime sibi oppositæ, hypotheses ex miserimorum illorum Idealistarum ac Materialistarum (licet ne quidem constet, utrum integræ sic sentientes *Scæ* philosophicæ datæ fuerint?) philomoria decerptæ

ptæ specioso, at hiulco nimis, nexu copulantur; quemadmodum enim ex duabus religionibus aperte falsis, servatis earum erroribus capitalibus, nunquam orthodoxia confarcinari poterit: ita ex Idealismi & Materialismi conjugio nunquam sana Microcosmi Philosophia ullis subtilitatum mathematicarum in abusum raptarum tormentis extundi & elidi potest. Quid igitur juvit, aut coegit ejusmodi hypotheson quas nominasse est refutasse, conciliationi studuisse. An non fatius fuisset eas penitus dest. uxisse, & dogma universi generis humani in gratiam moralis nostræ a Deo dependentiæ, rationaliter adstruxisse?

§. XIII. Omnium quidem hominum ratione sua recte utentium, & maxime Philosophorum, præsertim inde a Verulamii & Cartesii temporibus, serium fuit postulatum, ut perspicuæ, genuinæ, ac sufficientes quantum pote, rerum reddantur rationes. Interim cum soli Ill. Leibnitio a nonnullis immortales decernantur grates ob *Principium sufficientis rationis* in Philosophiam introductum; vel maxime quis sperare poterat, omnes ejus hypotheses, & inprimis *Harmoniam præstabilitam*, sufficienti ratione suffultas esse. At vero hypotheticæ ejusmodi inter animam & corpus Harmoniæ *præstabilitio* absque sufficienti rationum pondere gratis supponitur. Iam vero si Hypotheses in Philosophia prima absque demonstrationibus sumere licet, certe non deerunt luxuriantia ingenia, quæ e principio sui *acuminis ingenio*, toto die hypotheses cudant, parum solliciti utrum alii, qui ingenium & iudicium suum ad æquilibrium reducere, & illud mediante hoc moderari norunt, ex principio *sufficientis iudicii* eas probaturi sint? Verumenita vero haud mirum est hanc *præstabilitationem* non aliter, quam *gratis* supponi, cum nullus ex ejus Fautoribus vel probabiliter saltem eam unquam demonstrare valebit, ob naturam Spiritibus in genere adeoque etiam Deo solum modo *representatricem* seu speculari in Monadologia Leibnitiana adscriptam: Scilicet Ill. Leibnitius *quatuor* statuit *Monadum* (quæ Cel. Wolfio *Simplex*ia vocantur) species. *Primæ* speciei essent, quæ *mundum obscure sine ulla distinctione representant*, nullas habent partes, *Monades Leibnitiana.* nullam figuram, nec quidquam quod materiæ convenit, adeoque Spiritus vocari possunt, & ex his monadibus mundus hic esset compositus, & omnia in eo corpora; imo videntur animæ quoque hominum & brutorum aliquando in hoc *statu elementari fuisse* priusquam in hoc corpus venissent. *Secundæ* speciei, quæ *mundum representant, clare sed indistincte, quales sunt animæ brutorum.* *Tertiæ* speciei essent, quæ *mundum clare & distincte representant, quales sunt animæ humana.* *Quartur* (mirari subit, cur per parem supponendi modum quarto loco monades angelicæ, seu ab unione corporis organici naturaliter liberæ non positæ sint, & tum quinto loco Deus ipse?) *representandi modus est intellectus Divini, qui est representatio simultanea & distincta omnium possibilium.* Narratur porro, quod singula hæc simplicia gradibus *facultatis representatiivæ* differant. Unde Spiritus in genere definitur, quod sit *Substantia universi representatrix* seu specularis. *Differentiæ vero Spirituum specifiæ*

ciſicæ a modo repræſentandi deſumptæ ſunt. Iam vero quoniam hæc hypotheſis monadica dignam Deo ideam non gignit; ſiquidem in repræſentatione ſolummodo intellectus, non vero voluntas, nedum efficax creandi potentia, quæ ad præſtabiliendam unionem adeo miraculoſam omnino requiritur, involvitur: facile quilibet videt, nullum Harmoniæ præſtab. aſſertorem a priori aſcendendo ad primam cauſam poſſe vel levi probabilitate præſtabilitationem talem deducere & ad Deum referre. A poſteriori quoque nulla probabilitate, nedum apodictica concluſione, ſuppoſitæ hujuſ præſtabilitationis fides demonſtrari poteſt ex hoc Syſtemate; quoniam illud omniæ experientiæ noſtræ fidem ſuſpectam reddit, imo plane tollit, id quod amplius ex ſeq. patebit.

ſ. XIV. *Systema Harmoniæ Præſtabilitæ* perpetuum omnino involvit Sceptiſmum & Pyrrhonismum, & quidem primo reſpectu noſtri, quoad exiſtentiam corporis noſtri; ſiquidem anima noſtra nunquam ſufficienter de eo convinci poterit utrum corpus habeamus? illa enim ex hypotheſi omnes de corporibus cogitationes ex ſe ipſa abſque corporis ſui organiſmi miniſterio evolvit, imo evolutura foret, licet hoc non exiſteret. Deinde reſpectu aliorum non tantum ratione corporis noſtri ob rationem jam dictam, ſed maxime etiam reſpectu animæ noſtræ; hujuſ enim exiſtentiam negantibus fruſtra ſermonem, ſcriptionem, vel quemvis rationalem actum, allegabimus, ſiquidem hi & quilibet corporis noſtri motus ex hypotheſi abſque animæ cauſalitate ſuccedunt, imo ſuccederent licet hæc non exiſteret. Adeoque videmus quod ex hoc Syſtemate contra Scepticum aut atheum vel noſtrum (cujus tamen demonſtratio in limine philoſophandi neceſſaria erat) nedum aliarum rerum exiſtentiam unquam evincere queamus.

ſ. XV. Quoniam Syſtema H. P. omnes omnino motus corporis etiam ſic dictos voluntarios, ab univerſali unicæ mundi machinæ mechanismo immutabili derivat, & ſicut idearum, ita etiam motuum ſequentium fundamentum, ex principio ſufficientis rationis ſuo ſemper in præcedentibus ideis & motibus contineri aſſerit: hinc nulla in eo ratio reddi poteſt, cur non ſingulis ideis ſinguli motus, & vice verſa, reſpondeant? Ut adeo in hac Harmonia frequens etiam, ſi non continua, adſit dyſharmonia, imo quoties ſoli motus vitales & naturales vigent v. g. ſub ſomno, toties nulla hæc unio harmonica ceſſare videatur. Id quod præſtabilitationi æternæ, quotidie hoc pacto per repræſentationem ſ. XIII. Divini intellectus denuo inſtaurandæ præjudicat.

ſ. XVI. In Syſtemate H. P. nulla concipi nedum ſufficientis reddi ratio poteſt, cur operationes mentis homogeneæ, per alias maxime heterogeneas ſæpiſſime interruptantur, & cur incondita eiſmodi intercalatio idearum contingat? Sic idea nobiliſſima, v. g. ſummi Numinis, per ideas rerum viliffimarum imo illicitarum toto die, & quidem eo frequenſius quò quis magis affectibus ſervit, interruptitur. Quomodo quæſo idea nobiliſſima ex neceſſitate eſſentiæ animæ cum viliffima concatenatur, & quomodo hujuſ fundamentum in illa continetur? An ſic ſapientia Creatoris

toris salvatur, si doceatur eum statuisse, quod absque interventu & affectione corporis, excellentissima sui ipsius ideæ, necessaria evolutionum serie putidissima iungatur idea; & bonam, v.g. in fure, voluntatem Deum in ædibus sacris glorificandi, abrumpat, & serie non interrupta excipere debeat voluntas sacrilega furto auferendi res sacras, quæ tamen ex hypothese per sensuum organa eam afficere non potuerunt? Nullaviciissim concipi, eo minus reddi ratio potest eius, dum motus voluntarii absque ulla sui similitudine, connexionione, & proportione tam respectu sui, quam respectu atmosphaeræ, succedunt; cum tamen necessitate mechanica ex hypothese sibi iavicem succedere debeant. Iam vero in Mechanicis constat, quod inter præcedentem motum ut causam, & subsequentem ut effectum sufficiens & iusta intercedere debeat proportio. Sic nulla est similitudo & proportio, dum in scario placidum & scurili dati motum, *violenta* eius manuum in alterius confossione agitatio excipit. Si militem quiescentem incipinato hostis invadat, illico vehementi cum motu insurgit, arma arripit, concitatissimo cum impetu in omnem regionem, prout aggressor urget, se vertit & arma versat &c. iam qui imperium animæ in corpus negat, quomodo quæso ostenderit proportionem & concatenationem inter placidum corporis statum præcedentem, & motum violentum subsequentem; item inter placidum atmosphaeræ statum, & motum impetuosum (qualem vel procella non excitasset) corporis, & quod magis mirandum, eius repentinam & liberam quaquaversum determinationem?

§. XVII. Systema H. P. tantum abest ut sapientiam ac bonitatem Creatoris adstruere possit, ut potius eidem præiudicet; videtur enim quod anima, si ipsa omnes suas operationes absque corpore consequi & evolvere queat, plane non habuerit necesse ut corpus sibi adiungeretur, & quidem per *unionem* adeo *hiuleam*, qua nunquam sibi & aliis sibi miter persuadere possit se corpus organicum habere §. XIV. nulla igitur illi consolatio tali in unione superest; imo merito dolere posset, quod cum ipsa ex necessitate suæ essentia omnes de hoc universo cogitationes evolvere poterat ordine sapientiori, attamen illas vagis & variis corporis cuiusdam, in quod nihil agere & a quo nihil recipere potest, motibus, imo etiam machinæ mundanæ corpus hoc *automaticè* completentis mutationibus *conformiter* & *confataliter* admetiri debeat. Porro anima in suis *volitionibus* sensum & desiderium *virtutis transeuntis* in corpus suum, ad hoc movendum & ope ejus etiam alia corpora, in se animadvertit, hujusque virtutis executionem toto die sequi observat, & sic de sua in corpus potentia convincitur. Iam vero si eam non habeat, sequitur quod per omnem ætatem non nisi fallatur & somniet quasi; at vero bonitatem Creatoris repugnat eam in perpetua sui deceptione collocasse; cum potius dignum erat ut animam non *otiosa* & *fallace*, sed maxime efficaci voluntate instrueret, adeoque inter animam & corpus *connexionem operosam* seu reciprocam fundaret.

§. XVIII. Plurimum quoque Systemati H. P. officit, imo omnem ei fidem de-

derogare debet, propria Authoris de eo confessio, integerrimo Cel. Theologi Tubingensis D. Pfaffii testimonio comprobata; ita enim hic in Dissert. de morte naturali §. V. ait: *Quid jam dicemus nos, qui existimamus Leibnitium omnia ista, immo totum illud systema, quod Petro Belio in Theodicea opposuit, per lusum ingenii quendam sultem confinxisse, nec seria heic mente egisse, & Belio frigidam potius suffudisse, quam ipsius placita destruxisse. Certe cum Vir doctissimus, ejus profecto singulari quodam aestimio & favore gavisi sumus paulo ante fata sua ex nobis quaereret, quid de Theodicea sentiremus, nosque hanc nobis mentem stare, in responsione ad ipsum data declaravissimus, subristi idem, atque rem acu nos tetigisse, cum ad nos rescriberet, falsus est. An ergo optate pretium ab his factum, qui ingenii alieni lusus postliminio in systematis formam redigere, & sic novam in Halcyonia Philosophiæ procellarum materiam invehere, haud dubitarunt?*

§. XIX. Poro complures ac insuperabiles sunt difficultates, quæ Systema H. P. premunt & opprimunt. Per illud enim duplex in Hominem invehitur fatum, & unum quidem in animam, dum ea omni veri nominis libertate privatur, ac in automaton fatalium consecutionum convertitur, & quidem ex capite *adoptati Idealismi*. Juxta quem in anima pro ejus natura speculari seu representativa omnium de rebus idearum evolutiones ordine adeo immutabili & non interrupto, ut sequentes semper in præcedentibus sint fundatæ, se invicem excipiunt, & nec aliæ, neque aliter se excipere queunt, quam quidem excipient, ac insuper motibus corporis ex mechanismo macrocosmi fataliter succedentibus necessario respondere debent. Alterum vero fatum in corpus organicum inferitur ex capite *adoptati Materialismi*, hujus enim vi illud tanto cum rigore ad Machinam mundi alligatur, ut nullius in eo motus causa in anima amplius quaeratur & inveniat; sed omnes unice ex immutabili ordine mutationum præsentis hujus mundi automatici deducantur, & quidem serie adeo *concatenata*, ut præsens motus fundetur in præcedenti, hic iterum in præcedenti, & sic in infinitum, & nec alius, nec aliter, succedere possit, quam succedit. Si enim in hac universi Machina vel minimum aliter fieret, quam quidem fit, omnis facies rerum, ex hypothesi, mutari deberet, & mundus hic non amplius foret idem. Equidem non me latet quod in Systemate H. P. frequens *libertatis* animæ, & rerum *contingentiæ* fiat mentio; verum pervasissimum habeo, neminem non visurum, qui universum attendit Systema, nullam veri nominis libertatem & contingentiæ in eo habere locum, & ne quidem habere posse ob analogiam systematis, & manifestam mysteriorum hinc inde proditionem. Adeoque saltem *nulla* illa esse nomina (qualia non statim seducent cordatum, qui novit quod Spinoza etiam plura de libertate scripserit, cum tamen nihil minus, quam eam admittit) ex innocentiori sanioris Philosophiæ phraseologia deprompta quidem, aut ad glaucoma iucautis obijciendum miris modis ac effugis defensa. Unde licet, secundum hoc systema, hæc animæ meæ cogitationes & manus descriptiones, non nisi
absc-

absoluta necessitate & confatalibus consecutionibus eveniant; eæ tamen liberæ, possibiles, mutabiles, contingentes quoque in eo appellarentur, at quomodo quæso? respectu alterius mundi, quia in alio mundo, vel alia hujus mundi constitutione poteram hæc aliter, aut plane non, cogitasse & scripsisse. Sic nempe entium realium ratio, per non entia æstimatur, & saltu immenso vanum in mundis utopicis effugium quaeritur! Confido igitur eo minus a quopiam hujus systematis sectatore controversam iri, quod hæc scribam, quæ magis ex illo sequitur impossibile esse, ut hoc in præsentis mundo negligam; alias occasionem darem ut hic mundus porro non foret idem, & aliter deberet constitui, quo pacto aliis creaturis cum præsentis statu systematis mundani contentis, per tantillum negligentæ, summam sane injuriam facerem.

§. XX. Ex negata animæ in suum corpus potentia & regimine, manifesto sequitur: frustra hominibus sive a Creatore seu a Magistratu de regendo & compefcendo corporis leges esse latas; adeoque omnis moralitatis & imputationis fundamentum subverti: merito scelestum regerere Judici, quod actiones nefarias non anima produxerit, sed automatica mundi machina necessitaverit, adeoque eas aut non, aut simul hanc machinam totam, culpam debere: peribit hac ratione fides operationum Angelorum in corpora: frustra institutiones a Præceptoribus sunt: frustra Moralium Doctores ex revelatione & recta ratione consilia dabunt, cum anima ab extra affici nequeat. Verum quis sufficeret sexcentis aliis incommodis necessaria sequela hæc enumerandis? Haud ergo mirum est quod omnibus disciplinis practicis tale systema metaphysicum valde displiceat, utpote inimicissimum. Quantopere ab eo abhorreat etiam Medicina, videri potest in Diss. Excell. Dn. FRID. HOFFMANNI, Fautoris mei ac Præceptoris Faventissimi, Colendissimi, de Fato physico & medico &c.

§. XXI. Sed juvabit quoque attendisse exceptiones eorum, qui Systemati H. P. operantur. Quod ab ignoratione modi, quo anima in corpus agit & hoc eam afficit, nihil valeat conclusio ad negationem physicae unionis, jam §. IX. anticipavimus. Multa sane sunt, quorum, quomodo fiant, adæquatam conceptum habere haud possumus, quæ tamen non ideo negamus. Et quid mirum si modus unionis & operationis mutua substantiarum adeo diversarum ab infinita Creatoris sapientia factus sit, ratione ab anima finita incomprehensibili; alias hanc unionem non diceremus admittendam. Verum cum universa eorum familia, qui inde ab ætate Spinozæ hucusque, quocumque tandem sub prætextu, animæ potentiam ac regimen in corpus abjudicant, unionem animæ cum corpore apodictice a priori haud demonstrant, prout nec demonstrare potest, sed ad Dei placitum eam referat; an merito præcendit ut operatio animæ in corpus a priori ex eorum natura apodictice demonstratur? minime sane.

§. XXII. Palmaria vero inde depromitur objectio, quod eadem sit motus

seu potentiae motricis *quantitas* in universo; jam vero si anima, res immaterialis, motus in corpore produceret, novus in mundo nasceretur motus, & sic innumera toto die producerentur miracula, quod absurdum foret. Verum axioma quoddam in rebus pure corporeis natum & procedens non illico ad hominem, utpote causam simul liberam, applicari potest. Si igitur motuum corporis organici voluntariorum productio & explicatio salvum illud axioma & salvam motuum communicationem, inter corpora per solum contactum fieri solitam, non relinquat; nemo non videt exceptionem fieri debere respectu hominis a *regula*, imo satius esse eandem motuum quantitatem negare, quam in gratiam unius axiomatis in *macrocosmo* corporeo nati, manifesto cum abusu & saltu, periculosam in *microcosmo* inferre sequelam, & sic *unam* vitando difficultatem in *mille* alias intricare. Porro quod atinet eam imputationem, quod Systema influxus sit *miraculosum*; sane unio animae cum corpore magis est admiranda quam ferri cum ferro vel fictili; magis quoque admirandus est motus in corpore ab anima productus, quam qui a vento in arbore producitur. Interim si actionem animae in corpus ideo miraculum veri nominis appellitas, quod modum comprehendere, & cum hoc vel illo axiome pure mechanico conciliare non valeas, pari passu incedis cum idiotia ignem fatuum in cæmeteriis, & similia phaenomena, ob rationem sibi ignotam rem supernaturalem appellante. Licet igitur admirandum sit hoc negotium, eo minus tamen titulo miraculi veri nominis vocitandum, quanto magis familiare illud est, & toto die experientiae universi generis humani observatur. Verum enimvero longe majori jure miraculorum imputationem retorquemus; si enim secundum Harmoniam praestab. *rationales oris sermones*, &c. absque influxu & regimine mentis fiunt, sane toto die infinita miracula *asinum Bileami loquentem* imitantia nascuntur. Cæterum an non miraculosa & omnem fidem superans est Leibnitiana illa Monadum primae phalangis §. XII, tanquam spirituum in corpora mundi *transformatio*? mirari sane satis nequeo, cur is, qui *metamorphosin* talem admittere, & consequenter spiritus & corporis ac utriusque proprietatum *confusionem* ac *mixturam* fovere sustinet, majori jure non queat concedere, animae nostrae in corpus actionem? Sed si quid ego video obstat adamatum idealismi & materialismi fatum in specioso harmoniae praestab. connubio copulandum.

§. XXIII. Narratur porro, quod systema influxus per *vitium* quoddam *ob-reptionis* seu praepudicium infantiae, animae potentiam in corpus credat. Et quod illud usque ad tempora saltem Cartesii fuerit receptum, hic vero cum suis asseclis animae operationem in corpus negando unioni saltem metaphysicae locum reliquerit; hinc etiam Celeb. R. VARD. ANDALA publice in partes vocatus fuit. Verum hic idem in *Diss. de Unione mentis & corporis physica, neutriquam metaphysica*. Systemati H. P. & Causarum occas. opposita, temere se in partes vocatum fuisse testatus est & *ovicit Cartesium & geminos ejus sequaces nunquam negasse animae in corpus actionem*

nem; sed Spinozam, & Spinozantes quosdam *Pseudo-Cartesianos*, Gendingium, Malebranchium, Beckerum &c. & minime hos cum *genuinis Cartesianis* confundendos esse. Quod vero non hic vitium subreptionis vel præjudicia infantia sub-
sit satis ex universalis generis humani consensu patet, & maxime etiam Philosopho-
rum suffragio, qui post accuratum sui ipsius examen atque profitentur & confirmant
hanc veritatem, quod anima in corpus agat & vicissim ab hoc afficiatur. Sed mi-
rum etiam est vitium obreptionis objici posse, cum ex analogia Systematis H. P. nul-
lum unquam vitium vel præjudicium infantia ab extra menti obrepere possit, quo-
niam ipsa a sensibus affici nequit.

§. XXIV. Sed videntur nonnulli persuadere jam demum velle, quasi a
Systemate Metaphysico placitis Leibnitianis superstructo, v. g. Wolfiano, systema H.
P. abesse posset, illo interim salvo manente; uno tria illa *systemata* §. II. sigillatim
proponunt optione Lectori data utrum ex iis eligere vellet, quasi neutrum eorum
disciplinis moralibus & facultatibus, ut vocant, superioribus præjudicaret. Ve-
rum male tria illa Systemata eodem habentur numero, cum fieri plane nequeat ut
singula vera sint. Eligendum igitur Systema commune seu influxus, quod omnis
moralitas, religio & medicina, exigit, & reliqua ceu falsa & periculosa reiicien-
da; eiusmodi enim Principia & Transcendentia in Philosophia prima assumenda &
asserenda esse nemo cordatus Philosophus non videt, quæ amicam ac utilem suam in
Disciplinas practicas ac morales habeat influxum; alias pro *gryphis & chimæris* lu-
xuriantis ingenii si minus noxia sint, aut si moralitatem subruant pro summe *pericu-
losis* pseudophilosophematis habenda esse. Cæterum illi qui de veritate vel fal-
sitate alicuius Libri, non ex una atque altera pagina, vel ex aliquibus saltem ve-
ritatibus aut erroribus hinc inde arreptis, verum ex totius Libri evolutione atten-
ta, non partium sed solius veritatis inquirendæ ac a pseudophilosophematibus
discernendæ studio instituta, & principiorum eius *analogia* indicat; & qui probe
etiam distinguere novit *inter Librum* aliquem (qui quantumvis suspectus forte ha-
beat, continere tamen potest quædam cum veris aliorum hypothesibus commu-
nia, vel etiam priva, at minus noxia) & *inter systema ipsum* in illo contentum,
seu principiorum ac hypotheson in libro dominantium deductionem & cum
principiatis *nexum*: Illi inquam Lectori nec Cl. Thümmigius in suis Institut. Phil.
nec alius quispiam, qui glaucomatis incauto lectori obiciendi gratia systema illud
Metaphysicum *mutilatum* proponit, vel ex una alteraque eius propositione innoxia,
præter necessitatem nimis laudibus comitata, universi operis innocentiam præ-
tendit, unquam persuadere a dicto Systemate Metaphysico, prout illud hæctenus
non mutatum extat, ad genus humanum relato, hypothesin H. P. abesse posse; nisi
simul etiam persuadere valeat tres angulos ad triangulum non pertinere. Imo ne-
que consultum est ut persuadeat, sublato enim specioso illo H. P. vinculo, quo
idealismus & materialismus connectebantur quasi, systema ipsum in *duo* summe

opposita falsaque *systemata* idealismum nempe & Materialismum fatiscet. Cæterum æquus rerum arbiter plenius hac de re cognoscat in eruditissimis aliorum scriptis hypothese H. P. oppositis. Quorum pleraque peculiari Tractatu: *Aufsichtliche Recension*, &c. recensuit Celeb. JOACH. LANGIUS S. Th. D. & P. Ord. in Universitate Fridericiana. conf. etiam CAUSÆ DEI &c. secundum editæ pars I. eodem Authore.

§. XXV. Verum in demonstranda animæ in summo corpore potentia, tanquam veritate universi generis humani experientia comperitissima, non amplius morabor; neque ut morer ex ratione scopi mei a quoquam prætendi potest, cum in Foro Medico de illa potentia haud dubitetur, sed saltem de eius *limitibus* ambigatur, & decertetur. Quare etiam eius causam, quod unionis physicæ & veri nominis potentie *modum* adæquate exhaurire nequeam, haud iam prolixè aut scrupulose rimor, quin potius breves heic cognitionis nostræ limites non sine summa summi Numinis sapientia fixos lubenter fateor. Miror vero & supplex veneror eius bonitatem ac sapientiam, quod ex liberrimo suo placito corpus organicum animæ nostræ iunxerit, ut illud in eius gloriam & salutem Proximi regere, eoque mediante Universum hoc cognoscere, & complura tam ex microcosmo quam ex macrocosmo Maiestatem Divinam glorificandi argumenta *invenire*, & cum aliis cogitationes nostras *communicare*, valeamus.

§. XXVI. -
XXX. Motuum
Voluntariorum
ratio exponitur.

§. XXVI. Post assertam veri nominis, qua anima in summo corpore agit, *potentiam*, illud iam explicare conabor, quomodo motus voluntarii ab anima imperati ac producti in musculis corporis porro peragantur ac decurrant? quod priusquam describerem, sequentia ex Anatomicis & Physiologicis tanquam probata assumo: 1) Fibre & ex his adunatis compositæ quævis nervosæ & musculosæ corporis nostri partes tono & elasticitate sua præditæ sunt, sive ita sunt structæ ut semper, magis tamen in vivo quam mortuo corpore, ut cunque tensæ, distractiles & contractiles adeoque in statu sibi violento positæ sint; suæ enim renitentur elongationi & se accurtare nituntur, unde transversim scissæ se abbreviant & contrahunt. Ut adeo musculi antagonistam sibi requirant, quam obrem etiam partes corporis motu voluntario mobiles instructæ sunt musculis easdem per directiones contrarias moventibus, v. g. cubitus & digiti flexoribus & extensoribus, oculus attrahente & deprimente, &c. 2) Musculi sunt organa motuum, quibus partes solidæ corporis nostri moventur; musculis enim evulsis, discissis, vel corruptis, motus partium quibus alligantur, tollitur. 3) A diversâ fibrarum in organo quodam adunatione, diversum exsurgit robur; hinc a peculiari fibrarum cordis funis in modum spirali-ter contortarum adunatione, tanta vis motrix eidem conciliatur, ut liquidorum omni-

omnium in vasculoso nostro corpore resistentiam superare possit, demonstrante Borello de Motu animal. 4) Ad musculos quibuscunque motibus dicatos ingrediuntur nervi & arteriae venaeque, inque illis secundum omnem dimensionem per innumeros ramulos distribuuntur. 5) Si nervus musculi ligetur vel abscindatur, omnis in hoc motus perit; & pariter ligata vel abscissa musculi arteria idem eidem accidit musculo, quod phaenomenon capto in vivis animalibus experimento ad oculum demonstratur. 6) Ergo aequilibrata musculorum vis ab aequabili Liquidi nervei & arteriosi influxu derivanda est. Ergo etiam motus musculorum in alterutro praevalens, seu aequilibrum inter antagonistas sublatio, sive haec additione sive subtractione fiat, ab impulsu distorum liquidorum dependet. Voluntate itaque nihil determinante omnes muscoli eius imperio subiecti per aequabilem sanguinis liquidique nervei influxum, aequae pleni & aequae moti erunt, ita ut neuter antagonista actionem superabit, sed pari vi utrinque trahentur & in *statu aequilibrum* permanebunt; quam primum vero alterutrius musculi vis renitens per auctum, ob determinatum a voluntate liquidi nervei influxum, robur, imminuta superatur: illico, sublato jam aequilibrio, ab *antagonista* musculo *praevalente* attrahetur. quod etiam fit in vulneratione vel paralyfi alterutrius antagonista.

§. XXVII. Motus itaque voluntarius hoc modo fit: *Motus voluntarii executio.*
 primum Anima in sensorio communi tanquam in acropoli praesidens partem aliquam corporis organici suo imperio subiectam certo motu movere determinat, illico ad hanc determinationem ex lege unionis *liquidum nerveum* (quod est fluidissimum, tenuissimum, & celerimum, unde etiam *spirituum animalium* nomine insignitur) e sensorio communi in nervos ad musculum parti jam movendae propriam tendentes, maiori quam tempore aequilibrum, copia influit; hinc huius musculi fibrae in contractionem maiorem illa quae his fibris naturaliter iusta, est §. XXVI. N. 1) nitentur, visque eius viribus antagonista praevalabit, aequilibrio superato contrahetur & partem movendam, cui altero extremo annexa, attrahet ad terminum magis immobilem, cui altero extremo annexus est; consequenter accurratur, tumet, durefcit, pallet. Atque hac ratione motus in parte certa in statu s. n. constituta contingit, qui antea non aderat. Simulac vero determinatio Voluntatis cessat, mox liquidi nervei influxus minuetur, contractio musculi violentior relaxabitur, antagonista antea elongatus ad pristinum statum se contrahet ac restituet, & sic aequilibratis utrinque viribus pars corporis imperio animae iam defuncta rursus quiescet.

§. XXVIII. Quae phaenomena in musculo jam moto obvia frustra ab occulta quadam Galenicorum *facultate* musculos instante, aut iuxta quasdam a spirituum in nervis *nitrosorum* cum oleo sanguinis mistorum accensione & rarefactione, aut a spiritibus *acidis* nervorum cum *alcalicis* sanguinis confligentibus, aut similibus suppositio-

Impressio voluntatis per nervos & fluidum in eis latens ad mus-

culos transmittitur.

nibus derivare conaberis. Sed præterea gratis quoque cum Hypothesi §. V. additis, & in gratiam universalis animæ in corpus suum potentia eo magis stabilicndæ, spirituum animalium existentiam aut negantibus, aut eorum usum plane non attendentibus asseres, animam absque eorum præsentia & influxu pro suo lubitu immediate *intendere & relaxare* nervos, & sic motum in partibus producere. Percurre enim omnes *modos*, qui unquam cogitari possunt, quibus *impressio voluntatis* per nervos ad musculos movendos ferri possit. Aut enim *eo modo* fertur, quo *pressio* per corpora rigida, uti v. g. pressio manus per basulum ad parietem transmittitur; at hoc modo fieri nequit, tum quia nervi sunt funiculi molles varie flexi, divisi, per angusta subinde spatia transeuntes, ut adeo instar corporis rigidi trudi nequeant: tum quia nervis licet ligatis deberet tamen *impressio* per eos transmitti ad musculos, quod vero non fit: tum quia *pressio* ejusmodi ad musculos contractionem nihil faceret. Aut *eo modo ac tremor* per chordas tenas, sed neque sic; nervi enim non ea ratione sunt tensi, ut percussi instar chordarum tremere, & eorum cohesio passim cum partibus vicinis propagationem tremoris sufflaminaret, & præterea ligatura nervi non deberet impedire illam; chordæ enim vulgares quantumvis fortiter stringantur, tremunt tamen; at vero nervis ligatis perit motus partis ad quam pertinent; denique tremor talis non contractionem sed concussionem in musculo produceret. Aut per *modum tractionis* & tensionis, at vero cui bono tunc musculorum corpora forent tam artificiose & mechanice structa? deinde vis musculorum corporis nostri complurium centenariorum pondus superat juxta calculum Borelli, ut adeo per tam exiles nervorum funiculos citra periculum ruptionis minime trahi possint; denique ligatis nervis non deberet musculorum motus cessare §. XXVI. N. 5. chordæ enim aut funiculi non obstante fortissima ligatura trahi possunt una cum pondere extremitati alligato. Ergo restat ut ut concludam, impressionem Voluntatis e cerebro per nervos ad musculos ferri & transmitti nullo alio sed eo duntaxat, modo posse, quem §. XXVII. descripsi, nempe per influxum *liquidi nervei* seu spirituum animalium. Prout igitur magis vel minus, tardius vel celerius, &c. pro suo lubitu anima determinat: ita etiam spirituum influxus, & consequenter musculorum quoque motus, variat. Neque mirum illi videbitur ab influxu spirituum determinatum in aliquam partem motum subsequi, qui ex Mechanicis attendit, quam leve pondus accedens rebus æquilibratis, quales etiam sunt musculi extra determinationem animæ, motum in his excitet. Cur vero tam notabilis vis motrix, per nervos accedat musculis, ex Hydraulicis & Hydrostaticis intelligitur. Quantitas vero virium muscularium ex singulorum musculorum constructione, insertione, directione ac connexionione ex Mechanicis, duce in primis Borello discitur.

§. XXIX. Demonstrari jam hic etiam posset, quod vicissim impressio ab objectis externis in organa sensuum facta, absque spirituum animalium præsentia, & libero per nervos transitu, ad sensorium commune nullo modo afferri possit, at hoc

mit.

mittere jam libet, in Themate enim meo, *actionem* solummodo animæ in corpus, non vero *reactionem* hujus in illam, seu rationem qua anima a corpore afficitur, examinanda sumsi. Neque *spirituum animalium* (*Fluidi* vel *Liquidi nervi*) probationi incumbere juvat; actum enim ab aliis agerem, si postquam eos ab aliis, qui obscuram aut rhetoricam veterum de spiritibus animal: Physiologiam ac Pathologiam, per experimenta anatomica & mechanica hac ætate meliora docti, missam faciunt, ex stupendo τῆς ἐργασίας mechanismo demonstratos habemus, calamm tamen hacin materia exercerem. conf. Excell. HERM. BOERHAAVE Instit. Medic. §. 231 -- 312. Neque objectiones a crasso sensu desumptæ Physiologum attentum heic morabuntur, conf. ibid. §. 289. Conferri quoque meretur I. Ph. Burggravi *de Existentia Spirituum nervosorum Commentatio Medica.*

§. XXX. Actum jam de eo, quod Anima in suum corpus sanum & integrum possit, adeoque de *Motibus voluntariis*. Sequitur ut agam de eo quod *non potest*, seu de iis motibus quos §. VIII. *Spontaneos* nominavi, quorum nomine intelligo omnes illas in corpore nostro functiones seu vitales seu naturales eæ vocentur, quæ ab imperio & nutu animæ nec in statu sano nec in morbooso producuntur aut diriguntur dependentque.

§. XXX-XXXIX.
Functionum Spontaneorum ratio exponitur.

§. XXXI. Veteres sufficienti cognitione anatomica destituti credidere, quasi motus duntaxat voluntarii, quos animales vocabant, ope fibrarum muscularium perficerentur; spontaneos vero quos naturales dixerunt, absque talibus fibris solo spirituum quorundam naturalium ut nominabant, ope peragi putarunt. Verum motus omnes spontanei fiunt aut ab *impetu* fluidorum intra cava & canales contentorum, ut dilatatio cordis, arteriarum, &c. aut a *contractione* fibrarum muscularium totidem parvos musculos §. XXVI. N. I. constituentium, quæ vel in fasciculos collectæ perfectum efformant muscolum, vel in membranas expansæ, musculares constituunt membranas. Et sane autopsia vel visus microscopio armatus fibras ejusmodi musculares in partibus motu spontaneo motis v. g. in corde, arteriis, venis, canali intestinali, vesicis, Sphincteribus, &c. deprehendit. Sicut vero ad musculos motibus voluntariis dicatos, ita etiam ad eos qui functionibus spontaneis inserviunt ex eadem origine nempe corde & cerebro vasa sanguifera & nervi ingrediuntur; & quidem prout ad illos valde probabiliter nervi a *cerebro* oriundi, hoc enim vario modo læso aut plane ad medullarem usque eius substantiam exacto cessant sensus, memoriaque & omnis actio musculorum voluntaria, durante interim functione musculorum in corde, respiratione, visceribus, spontanea: ita musculorum actionibus spontaneis, sacrorum nervi a *medullari cerebri* substantia oriuntur, illata enim huic seu cerebello violentia, mox non modo functiones vitales seu spontaneæ omnes, sed & voluntariæ cum omni sensu cessant. Hinc haud mirum est cessantibus in somno functionibus voluntariis, vitales & naturales tamen motus peragi, &

spi-

Spiritus animales, æque ac in vigilia, horum organis influere; nervi enim horum diverso ex loco oriuntur.

§. XXXII. Ex præmissis jam concludo, quod si musculorum voluntariis motibus destinatorum motus ab influxu Liquidi *nervosi* & *arteriosi* dependeat, §. XXVI--XXIX. Ergo organorum quoque spontaneis motibus gaudentium actiones ab influxu horum Liquidorum derivandæ sunt; utrobique enim eadem vasa, eadem liquida, eadem partium vis contractilis, & nisus in puncta opposita tendens antagonisticus, adsunt; & ligatis vel abscissis nervis & arteriis heic quoque eadem phenomena subnascuntur. conf. §. XXVI. Utrobique vero etiam differentia intercedit, nam in musculis illis quies seu status æquilibrii inter se invicem diu, donec nempe eum voluntas determinatione sua tollat & motus in illis exciter persistere potest; at in organis ad quamvis functionem spontaneam destinatis perpetua quædam æquilibrii *sublatio* & *restitutio* sive motus reciprocus aut alternus, ex peculiari eorum mechanismo perennat, qui alterna quadam dilatatione & contractione absolvitur, inque omnibus corporis nostri vasculosi canalibus, plus minus notabiliter viget, & in corde ac arteriis *κατ' ἐξ ὀφθ' διαστολε* & *συστολε* appellatur. In *διαστολε* parietes canalium dilatantur seu extorsum moventur; in *συστολε* vero comprimuntur ad se mutuo introrsum cum imminutione diametri, seu *contractantur*. Ubi elastica fibrarum structura §. XXVI N 1, multum contribuit, notum enim est in Physicis quod elastica corpora tensa vel compressa ad statum æquilibrii se restituere soleant; ut tamen fluida, quæ intra canalium parietes feruntur, & eos distendendo *διαστολε* efficiunt, alternatim ac vegete motu projectili seu progressivo propelli possint, præter elasticam parietum contractilitatem, influxus liquidi nervosi & arteriosi intra tunicas seu substantiam canalium necessario & principaliter requiritur. §. XXVI. N. 5. 6.

§. XXXIII. Si Liqueor arteriosus a corde, & nervosus a cerebro cerebelloque in omnes corporis partes quibusvis motibus dicatas s. n. influir, earum tunc tonus, motus, sensus, & functio uniuscujusque mechanismo appropriata præsto sunt, ac univeisum negotium vitale perdurat; ergo proxima motuum *cordis* & *cerebri* causa paucis inquirenda erit. *Cor* est, musculus solidissimus, cavus, ex fibris elasticis in modum funis & cochleæ spiritaliter contortus, in medio pectore intra pericardium firmiter vicinis adnatum ex basi sua quatuor vasis sanguiferis magnis cum pericardio connexis adnata pendulus, & in apice dorsum, ac nonnihil sinistrorsum respiciente, liber. Eius structura, situs & connexio, ut & analogia cum helice (cujus ope ut docet Mechanice vis debilis incredibilem resistentiam superare potest) magnam illi inesse potentiam motricem persuadent. Ligatis vel abscissis exacte cordis nervis, motus eius vacillat, fatiscit, aboletur, manetque in statu *διαστοlico*; ergo *συστολε* seu contractio cordis a nervis & liquidi per illos impulsu ac lati influxu dependet, concurrente simul sanguinis per arterias coronarias in cordis substantiam influxu, hic enim in omnibus musculis necessa-
rio

rio adesse debet. §. XXVI. N. 4. hinc expresso ex vasis cordis coronariis incisus sanguine, statim cessant pulsationes eius superstites in bruiis dissectis. Vena Cava & pulmonali ligatis, sanguinisque in cordis ventriculos influxu præcluso, motus ejus sensim cessat & cor manet in statu systolico; ergo *diastole* seu dilatio cordis a sanguinis in eius ventriculos influxu contingit. Iam ita colligo, quod tensio quidem in cæteris partibus musculosis sanis & quietis ab æquabili sanguinis & spirituum influxu oriunda equilibratam quietem quasi, illis conciliat; at in corde ob peculiarem hujus mechanismum, firmum pendulum, & alius similis antagonistæ absentiam inter sanguinem & spiritus reciprocare debet, ut cor modo ab influxu sanguinis *elongetur*, modo a spiritibus *contrahatur*. Ut adeo excitato hoc amico inter alternum spirituum & sanguinis in cor influxum diffidio non potest non, quam diu hæc machina illæsa manet, alternus hic motus dilatorius nempe & contractorius continuare, idque tam in vigilia, quam in somno. Licet enim spiritus ex cerebro in tantum, uti sub somno, aut in totum uti in gravi paralyti vel aridura, in musculos dominio voluntatis subiectos non influant; spiritus tamen ex cerebello in cordis villos indefinenter influere, & sic pulsus cordis perdurare, & effectus inde pendentes spontanei satis vivide ac æquabiliter, cæteris paribus, subsequi possunt, tum quia nervi cardiaci cerebello suam originem debent §. XXXI. tum quia cor, ut & plures muscoli respiratori dicati, antagonistis destruuntur, adeoque etiam minore spirituum copia, cum desit validior quæ ab antagonistis nasceretur contranitentia, in contractiones cieri possunt.

§. XXXIV. Hinc si quis phantasia Philosophorum conceptum quoddam *Perpetuum Mobile* desideret, illud in Corde deprehendet, in quo diastolicus & systolicus motus alternatim & reciproce diu perennat; unus enim alterum necessitate mechanica causatur, excipit, imo etiam auget. Ita frequentiori & fortiori reddita *systole* cordis per cerebrum & cerebellum in nimiam liquidi nervei expressionem agens, ut fit in affectibus & doloribus, necessario accelerabitur sanguinis per venas ad cor reditus, & consequenter ipsa diastole augebitur: & vicissim auctam *diastolen* per accelerationem sanguinis venosi ope motus musculorum voluntarii, frictionis, &c. auctior omnino excipit systole; quod nisi fieret diastole eo usque invalesceret, donec omnem systolen, consequenter circulum sanguinis, & hinc dependentem vitam, sufflaminaret. Simplicissimus itaque hic diastoles & systoles Cordis motus alternus, testatur de summa Creatoris sapientia, neque enim fluida Machine animalis aliter in orbem agi poterant; est igitur maxime vitalis, ab eo enim sanguinis circulus, omnium canalium motus restrictorius ac relaxatorius fibrarumque oscillatorius, consequenter omnium partium vigor & functio, & varix secretiones ac excretiones, uno verbo vita corporis dependet, & eo cessante res conclamata est, ac motus preslo pede sequitur. Unde Cor primum movens & ultimum moriens dictum fuit.

§. XXXV. Quod Cerebrum atinet, admirandum hoc viscus in supræ-

*Ratio motus
Cerebri.*

ma corporis contiguatione locatum pulsante corde pulsat, quod non

mo lo tactu in infantum fontanella suspicari, verum etiam visui, cranio prudenter in viventibus aperto, deprehendere licet. Pulsus hunc seu motum cerebri alternum intumescentem & detumescentem Celsus. Baglivus rejecta communi sententia motui dure meningis proprio, ex peculiari fibrarum ejus elatere oriundo, argumentis hand proleptis vindicare annisus est, quorum modesto examini iam locus non est. Commuitem nihilominus profiteor sententiam, alternum nempe cerebri motum ab alterno arteriarum corticis eius ac meningum pulsu produci; motus enim cerebri iisdem momentis & numeris, atque illi arteriarum, contingunt. In *systole* ergo cordis pulsantibus arteriis corticis, hic cum suis membranis necessario *intumescet* seu pulsabit, & quidem eo magis, quoniam arteriæ cerebri tunica musculari carent. In *diastole* vero cordis, arteriæ eadem partim ab elatere proprio & sanguinis in venas depletionem, partim a dura meninge suo se elatere contrahente, *collabuntur*, ipsumque cerebrum rursus *subsider*; dura ergo meninx ibi passive se habere videtur, hic vero ceu causa adiuvens suum omnino active confert symbolum.

§. XXXVI. Ex præmissis nemo non videt attentus necessarium & arctissimum esse nexum ac consensum Cordis & τῆς ἐγκεφαλῆς. *Cerebrum* enim ut universalis & primus in corpore *motor* suo motu sanguinem laudabilibus partibus secretioni spirituum idoneis factum ad cerebrum proxima propellit via, illudque ope pulsus arteriarum movet; *Cerebrum* vicissim eodem suo motu spiritus ex sanguine purissimo iugiter intra se secretos in cor per nervos impellendo, hoc movet. Ut adeo mirabili quodam *circulo physico* motus unius horum, principum viscerum & vitæ corporeæ fontium, sit causa, motus alterius: & vicissina. Motus ergo hic reciprocus in statu s. n atque etiam præternaturali minus violento, necessario perennabit; ab eo enim continua fit in cerebro & medulla spinali spirituum secretio & impulsio, & ab hac impulsione vicissim motus in corde, eius auriculis ac vasis producitur, &c.

§. XXXVII. Explicata sic breviter proxima motuum Cordis & Cerebri tam separatim §. XXXIII - XXXVI. quam coniunctim §. XXXVI consideratorum causa, quaesito & desiderio medico satis factum est; Medico enim, qua tali, ultimæ metaphysicæ aut primæ physicæ causæ investigatu necessariæ non sunt, utpote cuius obiectum est corpus iam formatum, perfectum, vivum, in quo vitam & sanitatem cum causis suis propinquiorebus & physicis dignoscere, conservare, sanitatem amissam congruis remediis restituere, illudque ab interitu quantum pote vindicare sat agit. Neque præterea ullam sibi necessitatem incumbere videt inquirendi in remotam & primam vitæ eius causam, quæ nempe illa fuerit, quæ sæturi ergastulo uteri conclusio vitales primo dederit motus; supponit enim quod efficax talis causa adeste debuerit. Porro vero ex Anatomicis & Mechanicis intelligit, quod talis sit cordis & cæterarum partium in corpore organico *mechanismus*, & tantus cum in vicem *conferat*, ut motus illarum reciprocus, circulusque humorum vitalis, semel a quacunque cau-

fa excitatus, tam in utero absque respiratione, quam extra illum negotio respirationis necessario concurrente, modo, cæteris paribus, automatico physico perdurare debeat. Cum vero omnia in hoc suo obiecto vivo adeo cohæreant, ut in orbem quasi eundo mutuas causæ effectuumque vices gerant; animadvertit vitæ, eiusque effectuum ac durationis rationem facilius intelligi, quam in ea aliis explicanda ordinem, qui rigorosæ methodi legibus ubique respondeat, in veniri posse. Hinc Hippoc. in Locis de Hom. §. I. ait: *mibi quidem videtur principium corporis nullum esse; sed omnia similiter principium, & omnia finis: circulo enim scripto principium non reperitur.*

§. XXXVIII. Quod si tamen urseris ut *primam* negotii vitalis in corpore nostro causam determinem, iure meritoque eam, ex sublimioribus edoctus principiis, *Divinam* esse dixerò, quæ vitam & *primo* producit & porro reprodicit, seu conservat, non tamen varia & subinde immutata methodo; sed legibus & ordini sapientissime semel a se stabilitis, adeoque *causis secundis physicis*, conformiter, ut adeo hæc revera motus vitales producere & promovere dici possint ac debeant. Sic constantem Divinæ potentie ac sapientie in productione corporis vivi ordinem, progressus idem in successiva pulli in ovo incubato formatione Malpighio & aliis observatus testatur. Summatim ergo dicimus, quod infinitæ potentie ac sapientie. Creator tam Macrocosmi quam Microcosmi Architectus, *Machinam* corporis humani adeo admirando artificio, juxta ordinem, leges ac circumstantias physicas liberrime a se stantur, efformavit, ut penitior anatomica & physiologica stupendi hujus mechanismi contemplatio vel contumacissimum atheum convincere valeat: eandemque Machinam omnibus organis ad functiones vitales necessariis varie cum invicem communicantibus & se invicem secundantibus instructam *vita propria* donavit: eandemque Vitam porro juxta certas vicissim leges microcosmicas, causas & circumstantias physicas, a se sapienter stabilitas non minus, quam etiam gubernatas, perennare voluit. Ut adeo Vita corporis nostri a principio ad finem ex *necessitate* structuræ suæ mechanicæ *physicæ*, cæteris scil. aere, alimentis, aliisque administrantibus paribus, tamdiu perdurare possit debeatque, donec causa ad ejus destructionem sufficiens accedat.

§. XXXIX. Ex præmissis jam perspicue, neque enim in terminis ludere juvat, patet, me non tantum statuere Corpus organicum hominis *mechanice* esse structum, & motus in eo secundum hanc structuram fieri; sed plus dicere ac affirmare, illud minime esse *Organum* Animæ pure & simpliciter *passivum* ac iners, sed potius quoad omnes suos motus spontaneos *ab se ipso vivum*, principiumque vitæ suæ in Mechanismo suo peculiari habens. Adeoque universum in illo negotium vitale ex principiis anatomico-mechanico-physicis derivò, exclusa quoad vitæ productionem & directionem internam *physicæ* animæ

§. XXXIX-
XLIII. Anima
a productione
motuum spontaneorum
excluditur, status
questionis
figitur, & præparatio
sic ad
argumenta.

cau-

qualitate. Ubi tamen monēo, quod *externam moralem* eius curam minime negaverim, dum apud omnes physicam animæ cum corpore unionem admittentes in confesso sit, quod anima suo corpori bene velit, eidemque de alimentis vestimentis, medicamentis, & quibusvis externis adminiculis necessariis providendo, illud conservare ac defendere satagat.

§. XL. Assertioni meæ non jam præsidium in sacris paginis, compluribus in locis eidem faventibus, nuspam adverstantibus; neque in Philosophorum auctoritate & universali hominum consensu solo quaesiverim. Nec circulum sanguinis, actionem fluidorum corporis nostri in solida & horum reactionem in illa, singulorum viscerum & imprimis principum organorum vitalium mechanismum, vires, actiones, communicationes & consensus cum invicem, &c. ex Anatomicis, Physiologicis, Mechanicis, Hydraulicis staticisque, & comparatione legum motus microcosmicarum cum macrocosmicis, pertractare animus mihi est. Ut ut enim ex his principiis *affirmative* procedendo haud impossibile foret demonstrare motus omnes spontaneos & vitam corporis ex ejus mechanismo pendere, atque etiam Deo sapienter providente, perennare: quemadmodum recentiores Philosophiæ ac Medicinæ Assertores præclari motuum reciprocorum vitalium originem, causas & durationem, ex clarissimis iis principiis demonstrarunt, & ex Physiologia vitæ corporæ varias facultates occultas, fermenta varia, principia animata, archæalia & metaphysica, & eiusdem farinæ plura, felici cum successu exterminarunt. Verum mittere hæc juvat, ut me intra cancellos Thematis mei contineam; in quo id saltem examinandum assumi, *Quid nempe Anima in suum Corpus possit & non possit*. Conabor igitur in sequentibus iuxta mentem posterioris in Themate membri, id saltem, *negative* potius (licet quædam magis necessaria §.XXXI-XL. positive prælibaverim) procedendo, demonstrare, quod Anima ipsa motus in corpore suo spontaneos minime producat dirigatque. Quo demonstrato pronissime sequitur; illorum & totius vitæ corporæ causam veram physicam in ipsius corporis artificiosissime structi mechanismo collocandam esse.

§. XLI. Non modo in jure Gentium Civiumque suum cuique tribuendum est; sed maxime etiam in teatro contemplationum philosophicarum nos oportet æquos rerum æstimatores esse, & lapsus in extrema adeo familiares vitare: ita ut neque *avaræ* vel invida speculatione illas proprietates rebus abiudicemus detrahamusque, quæ illis a Conditore adorando attributæ sunt; sed neque in alterum delapsi extremum, præpostera quadam credulitate & *prodigalitate*, iis qualitatibus & virtutibus res inuestire gestiamus, quæ illis haud sunt adscriptæ. Equidem si dum in scrutinio rerum extra nos positarum versamur, in hæc extrema prolabamur, haud adeo mirum est; quam si Anima nostra rationalis sui ipsius suarumque virtutum ac propriæ conscientiae examini incumbens, in eiusmodi Seyllam vel Charybdin, errore sane vix excusabili, impingat. Ego sane ad hanc aequitatis & acclimationis

decempedam in pertractatione Thematis, extra partium studium constitutus & solius veritatis studio ductus, utrisque attendere oculis annis sum; quicquid enim potentiae quoad motus voluntarios animae in corpus organicum concessum est, id omne eidem detuli; e contra vero nihil quod illi denegatum est eidem adscribo. Adeoque iure meritoque assero, quod *Anima motus corporis spontaneos & inde dependentem vitam interna physica causalitate nec producat nec dirigat nec conservet.* seq. convictus rationibus.

§. XLII. Primo enim nullius unquam hominis anima eiusmodi efficaciae, virtutis & operationis sibi in Hypothesi §. V. dicta imputatae seu adscriptae conscia est; cum tamen illa non agat bruto modo & ex necessitate uti res corporeae, sed libere & cum actionum suarum conscientia. Agedum igitur quoruscumque animae suae penetralia excutiat, omne genus cogitationum suarum volvat usque revolvatque, & rigidissimo examine virtutes actionesque proprias perlustrat, nunquam tamen animadverteret se ejusmodi virtutem possidere, qua possit & soleat vitam producere, imo contrarium potius observabit, se nempe volente nolente, conscia vel inscia, universum motuum spontaneorum apparatus iugiter administrari. Cur ergo *hypotheticae* eiusmodi virtutis & operationis si non pueri, saltem adulti; si non turba illiteratorum, saltem eruditi; interque hos si non Principiis tem hypothesi §. V. addicti, haud unquam recordantur & conscientiam habent? nullam sane aliam ob rationem, quam quod talem virtutem non possideant. Tantae omnino hoc argumentum est efficaciae, quod nullo elenchorum ariete pulsando labefactari poterit; nullum enim maius & validius Anima possidet argumentum, quam ab intima sui ipsius conscientia desumptum. Hinc mihi de mea existentia Deique veracitate secundum methodum bene ordinatae Philosophiae convicto, inque statu sanitatis ac vigiliae constituto, etiam si centum ora reclamandi libidine, contradicendi pruriginis & acutissimarum quantumvis argutiarum plaustris armata persuadere vellent; me haud illud animo volvere et agere quod quidem iam ago & in chartam hanc conicio; nunquam tamen huius meae actionis conscientiam possent destruere & evincere, me id agere & scribere cuius plane conscius non sum.

§. XLIII. Porro non modo ideo abiudicanda Animae tam lata & universalis in omnes corporis motus potentia, quia illam non habet; verum etiam ne illi facile *licentia* abusus amplius hac ratione ad devia campus panderetur. Enimvero si eousque alicui procedere & sibi adulari placet, ut animae suae unicam saltem virtutem, inprimis vero talem, quae numerosam potentiarum & executionum familiam pariat, quam illa se habere plane ignorat, adscribere velit; nulla sane obstat ratio, cur non pari licentia plurimas, quas se possidere non novit, adeoque etiam perfectissimas sibi attribuire possit? Haud secus ac mendicis cui curta imo nulla est supellex, si fingendo

§. XLII-LVII.
Animam non esse causam efficientem motuum corporis nostri spontaneorum variis argumentis probatur, quae passim exemplis illustrantur, & ab exceptionibus vindicantur.

§. III. sal-

gendo aliquarum divitiarum, pari sane licentia vel si mavis petulantia complurium possessionem sibi attribuere poterit. Verum absurdorum sequeles, ab aliis potius eliciendas, eo minus digito commonstrare lubet, quo magis constat, quod eas quævis Hypothesis, etiam absurdorum feracissima, per evidentem licet consequentiam resultantem, depreçari tamen, aut non agnoscere soleat.

§. XLIV. Si Anima tam admirandum negotii vitalis apparatus continuo administrandi, corpusque ab interitu *physice & interna* quadam sapientia vindicandi virtute prædita foret, illa sane omnium, quas possidet *virtutum naturalium*, nobilissima foret. Iam vero bonitati Creatoris repugnaret cæteras sequioris momenti virtutes animæ nostræ proprias nobis patefecisse; aut illam nobilissimam, qua omni momento utimur, occultasse. Gratis vero hic excipitur, ita cum anima nostra comparatum esse, quod cognitionis quidem suæ *acquisitæ* memor esse queat, *institi* vero sui *sensus vitalis*, quo vitæ negotium administrat ac cognoscit, non item. Præterquam enim quod sensus eiusmodi vitalis nullus sit, quandoquidem nulli unquam animæ overferetur vel cognoscatur, adeoque eadem facilitate reici mereatur, qua supponitur; etiamsi decem diversarum cognitionum species in nobis supponantur, illæ aut ab alio quodam principio animato in corpore hospitante emanabunt, at hoc nihil aliud foret quam *Archei* Helmontiani, vel *Reger* Dolæani, aut aliud quoddam phantasma: aut ab una eademque anima rationali. Iam vero impossibile est ut ab hac *duæ cognitiones* indefinenter per omnes ætates emanent, quarum unius conscia sit, alterius non item. Imo nihil magis est *arbitror*, quam statuere substantiam rationalem a principio existentie suæ & unionis cum corpore nostro semper pro vita & salute corporis moventem laborantem prudenter, & cum respectu ad certos fines continuo deliberantem & omnia æstimantem, quæ tamen suarum deliberationum & æstimationum non possit esse memor ac conscia. Cur quæso *sensus ille vitalis* si interne & sapienter corporis partes novit, iisque motum & vitam dat, non erudit acquisitum, ut necesse non haberemus tanto sudore anatomicam imo universam medicam corporis nostri cognitionem comparare? Vel cur ante *Harvæum* Medicos de iugi *sanguinis Circulo* non erudit? qui tamen adeo necessarium ac illustre est Medicinæ fundamentum, ut cum *centesimo* plane abhinc anno immortalis *Harvæus Circuli Sanguinis* inventi & demonstrati gloria cluere caperit, pietas orbem Medicum excitare deberet, quo illustrem Medicinæ Rationalis *natalem* communi quodam *Jubilæo* Medico concelebraret.

§. XLV. Verum regeat fortassis non nemo: (1) quod actiones spontaneæ seu vitales non incurrant in sensus, adeoque ideis quibusdam *subtilibus* non *crassis* comprehendantur; unde mirum non esse, si earum, & consequenter etiam sensus vitalis eas exercentis, recordari nequimus. Aut respondeo quod non queratur, an dentur objecta subtilia & eorum ideæ; sed cur idearum & actionum animæ, qualescunque tandem illæ sint, & qualiacunque ipsa objecta circa quæ versantur, inprimis

mis si eas continuo possideamus & exerceamus, haud recordemur & conscii reddi
 possimus? Adeoque supposita idearum subtilitas nihil obstat, quominus earum per
 intellectum *reflexum*, quem vividum & evidentem anima nostra per suam essentiam
 possidet, recordari queamus. Sic, ut innumeras taceam instantias, materia luminis li-
 cet sit subtilissima omnium tamen idearum quacunque tandem ratione de ea acquisi-
 tarum conscii esse possumus. Porro per sanio rem Methaphysicam evictum est ani-
 mam non creari ut tabulam rasam, neque tam perplexe intricari & mancipari suo
 corpori, quominus a sensibus abstrahere, & per innatam sibi facultatem de rebus sub
 sensu non cadentibus cogitare possit; minimum enim in se reflectendo, se ipsam nec
 visu nec tactu nec reliquis sensibus cognoscit. Jam vero hujus sui ipsius absque sen-
 suum ministerio impetratae cognitionis conscia & memor est; cur igitur non pos-
 set etiam actionum vitalium recordari, si earum causa efficiens foret? Deinde potest
 aliquis in se ipso cordis palpitationem vel pulsus, qui vel maxime vitalis est, *tactu*,
 aut etiam in vulnere amplo at nondum lethali sibi inflicto alicujus vasis majoris vel
 etiam visceris motum, minimum ex speculo vulnere obverso, visu deprehendere;
 aut etiam spasmodorum & dolorum internorum sedem, licet eam non videat, saepe
 detegere. Cur igitur necdum recordatur haec omnia a sua anima produci? (2)
 Quod motus vitales in *habitum* quasi animae abiverint, quae vero variis etiam aliis a-
 ctionibus & sensuum avocamentis vacat, adeoque mirum non esse si eorum memo-
 ria destituatur. Verum licet interdum actiones habeamus, quarum minus recor-
 damur, v. g. sunt qui inter seria colloquia manibus vel pedibus gestulationes in ad-
 vertenter in habitum quasi deductas edunt; interim sunt illae levioris momenti, ita
 ut distinctam notitiam & memoriam haud exigant, & si forte ab alio de iis admone-
 amur, revera earum recordamur & conscii sumus quod a nobis producantur. Ve-
 rum enim vero nullum genus actionum seriarum celebramus, cujus non modo in
 ipso actu conscii, sed & postea, si memoria vigeat per omnem fere vitam *memores*
 sumus; jam vero cum actiones vitales sint maxime seriae, & ex hypothesi cum respec-
 tu ad sapientes fines exercentur ab anima, sane miro majus est mirum eas conscien-
 tiam ac memoriam mentis eludere, & tamen eidem attribui ut efficienti. Sed con-
 sulamus porro tales qui sensuum avocamentis minus obnoxii, absque commercio
 quasi mundi, degunt v. g. caecos, quorum aliqui ad miraculum iudicio & memoria
 pollent. Denique consulamus eos qui ex orci faucibus sunt erepti ac vitae reseruti.
 v. g. ex spasmodis & convulsionibus ab assumpto toxico caustico natis eluctantem; aut
 ob vapores carbonum vel liquorum fermentantium in cubiculo aut cellario clauso
 imprudenter haustos lethargo indormientem mortifero, tempestive in aerem salu-
 brem protractum. Hi sane ab objectis variis distracti non fuerant, sed ex hypothesi
 Anima in illo *excessivis motibus convulsivis* contra mortem praesentissimam insurge-
 re, in hoc vero *extraordinaria aversatione* aut fastidio percelli & se a corpore ab-
 stahere tentaverat. Nihilominus hi omnes de *sensu vitali* seu virtute *vivifica* animae
 suae

fuere nos haud erudient; cum tamen si non ordinariorum & in habitum abeuntium eius in vita tuenda occupationum, ad minimum excessivæ ejusdem militiae, aut tam panice ac extraordinarii terroris & fastidii, vel maxime recordari deberent. Itaque, si quid ego video, eiusmodi *sensus vitalis* cum prolixo potentiarum & executionum suarum lyrmate est supernumerarius, & mere *hypotheticus*, nec nisi fide persuadendus; at vero fidei articulos in Medicina condere nulli concessum est. (3) Ast memini heic instantiæ cuiusdam, in probandis Principiis Medicis sane alienissimæ, quod nempe per lapsum Protoplastarum uti in *moralibus*: ita etiam in *vitalibus* autocraticis animæ viribus defectus multi secuti fuerint, quæ ratio etiam esset impotentiae per reflexionem & memoriam comprehendendi hunc sensum vitalem. Verum Medico qua tali non quaeritur quid cum Protoplastis amiserimus, sed quid actu teneamus? Nec ulla est ratio, cur anima post lapsum id quod maius est, scil. sensum vitalem tot nobilissimis actionibus occupatum possideret; id vero quod minus est, non item, facultatem nempe de illo recordandi. Porro si liceat ad supernaturalia excurrere, revelationi & rationi conformiter dixerim, quod Anima hominis in statu integritatis suum corpus & alias extra se res longe perfectius cognoverit, ac modo, & quod omnes sui corporis motus moralitatem involventes sancto regimine ad gloriam Creatoris gubernare potuerit. Corpus tamen suum non futurum fuisse ideo vivum & immortale, quasi ab eius *autocrazia interna* contra dissolutionem corporis militante Creator id suspendisset; sed quia tale illud creatum fuerat. quemadmodum etiam post diem novissimum illud immortale evadet, non ob providam sensus cuiusdam vitalis curam, sed quia illud iuxta Apostoli oraculum, *resuscitabitur incorruptibile*. (4) Allegari solet effatum hoc, quod *ab ignorantia modi non sit concludendum ad negationem rei*. At nihil minus quam istud nos fecit; *aliud* enim est *modum* tantum rei ignorare, *rem* vero ipsam certo scire: ita fluxus & refluxus maris ad illud habitanti certo scitur, nec ideo digne, quod modum comprehendere nequeat, negabitur; longe vero *aliud* est & modum & rem ipsam penitus ignorare, uti v. g. non modo ignoramus *modum*, quo anima universum negotium vitalem in corpore administraret, sed etiam maxime illam *ipsam rem* seu administrationem penitus non novimus, nec unquam tantam virtutem in nobis deprehendimus, imo nobis insciis vel invitis eam peragi videmus; iure meritoque igitur hanc administrationem animæ non deferimus.

§. XLVI. Si Anima tam sapiens & universale movens principium in corpore foret, ut suis *intentionibus*, *inventionibus*, *estimationibus*, *directionibus*, *deliberationibus*, omnes in illo motus tam *primo* quam *porro* ad *finem* certos ac *previsos* operaretur, eidemque indefinenter vitam daret, ac illud per *progressivam* fluidorum & tonicum solidorum motum a se inchoatum & continuatum, & hinc dependentis secretorii & excretorii negotii administrationem, ab interitu vindicaret; sane hac ratione in corporis organici *productione* & *conservatione* paucæ Deo *Creatori* & *Rectori*

su-

supereffent partes. Et si ea omnia ex *instita* sibi *energia* & sapientia presentibus momentis anima prestare posset, nihil obstat quominus & sequentibus, adeoque in perpetuum, si modo vellet; aut si nollet, illico vita cum omnibus functionibus cessaret. Illud enim quod potest *majus*, poterit etiam *minus* in eodem genere, iam vero vitam dare longe maius est, quam eam denegare; illud enim administratione numerosorum motuum operosa absolvitur, hoc vero privativam saltem animæ administratione vitæ abstractionem, ex hypothesi, involvit. Gratis vero excipitur, quod voluntas se non immisceat in negotia sensus vitalis, & quod animæ limites positi sint ne vitam deserat sed conservet; sensus enim ille vitalis ex hypothesi non modo intelligit vitam corporis, sed & pro ea deliberat, vires *intendit*, *minuit*, *immutat*, presentia & futura *aspirat*, &c. annon vero hæc voluntatem involvant, judicent Methaphysici? Imo vero potentia & *causalitas*, quæ animæ in corpus suum competit, non in *intellectu*, aut sensu quocunque tandem nomine insignito, sed in *voluntate* consistit; nam quod corpus meum sentiam aut intelligam seu in toto seu in parte, nulla exinde mutatio corpori inducitur, sed voluntas seu volitio mutat statum corporis. vid. Cl. Witrichii *Diss. Deus mundi Rector*, §. 38. 39. Deinde unde constat, quod sensus vitalis non queat vel velit vitam abrumpere, cum illius conscii non sumus, imo ex effectibus ejus suppositis contrarium sequitur, motus enim aut nimis intendendo, aut tumultuarie administrando, aut plane intermittendo, vitam perdit; & si in marasmo senili facultatem habet, ut & in nimia trepidatione, se a corpore *abstrahendi*, cur non etiam alias? Denique facile concesserim quod in statu felici anima vitam conservaret, imo prolongaret, si posset; alit non æque in quovis statu afflicto, sic sæpe audias aut exquisitissimis doloribus excruciatos, aut extreme miseris, mortem præ vita serio optare. conf. Iobus C. III. v. 20-23. Ita si cui scelerato in ergastulum concluso dira mortis ignominiose exequendæ sententiæ denunciatur, annon intensionem motuum vitalium prius abrumperet, quam ad pegma ferale & gemonias a carnifice raptaretur? Unde clarissime jam patet quod motuum cordis & reliquarum spontanearum functionum physice durantium ne quidem *directio interna* physica, nedum *productio*, delata sit animæ; ne scil. ut alias jam taceam rationes, illis pro lubitu suo abuteretur.

§. XLVII. Anima vel sibi soli vitam & continuatam durationem imperandi virtute haud gaudet, tantum abest ut illam alii a se distinctissimæ substantiæ dare posset; quod quis enim non habet dare alteri non potest. Omnis anima humana etiam extra statum revelationis constituta, & solis principis rationis innixa & rite attendita, facile animadvertit durationem suam a se non pendere, eo quod nullam unquam virtutem seu *primo* seu porro existentiam sibi dandi in se experitur, neque inter momenta, per quæ durat, ullum esse nexum necessarium, ut si momento presenti existat mox etiam futuris existere debeat; constanter igitur affurgit & ad Creatorem suum concludit, cui sui ipsius & *productionem* & continuatam reproductionem seu

conservationem defert. Pari omnino, imo majori iure, dum nullam unquam in se experitur potentiam, qua corporis vitam primo & per se producere queat aut soleat, concludit illam necessario alii causæ adscribendam esse.

§. XLVIII. Rerum Anatomicarum & Physiologicarum probe gnarus facile vider, universum in Corpore humano motuum spontaneorum apparatus & negotii vitalis administrationem rem esse sublimem, arduam & admirandam. Multa enim heic occurrunt phænomena quæ vel atheum in admirationem & convictionem rapere valent: Latex arteriosus jugiter a corde, seu centro, fluit ad peripheriam, & indidem eodem refluit per venas: fluida agunt in solida; & hæc reagent in illa: singulorum viscerum peculiaris est situs, connexio cum vicinis & functio: diversis in officinis diversi præparantur humores: diversis in organis diversæ secretiones & excretiones adornantur: diversis in partibus diversa nutritio, augmentatio, peragitur, &c. Quæ omnia Divinam planè redolent sapientiam ac potentiam, digitoque commonstrant, quod eadem non modo corpus hoc vivum produxerit, sed & idem efficaciter providentia juxta leges physicas sapienter & liberrime a se stabilitas conservet. Id quod digno miramur & debito veneramur modo; Cum e contra Philosophos corporum vivorum & motibus spontaneis instructorum contemplatio nunquam in sufficientem Creatoris admirationem & venerationem rapere queat, si supponant in iis a principio quodam animato & prudente omnia illa phænomena proficisci. Sane Philosophus sanus nunquam sibi extorqueri patietur excellens illud contra atheos argumentum, quod a mechanismo corporis humani ejusque negotio vitali a nulla creatura imitando, nedum producendo, deproxi assolet.

§. XLIX. Si Deus majorem animæ meæ virtutem & potentiam heic attribuisset, cur quæso eam abnegarem? imo cum gratiarum actione humilime agnoscerem. Neque tamen cum Creatore adorando ob denegatam maiorem virtutem exposulaverim, multo minus gigantea quadam audacia imperium & regimen, quod Deus sibi reservavit, cum eo dividere, idque aut in totum, aut ex parte mihi vindicare & adscribere attentaverim; quin potius cum iis, quæ a Deo benignissime mihi nihil merenti attributa esse novi, devota gratitudine bene contentus conquiesco. Sufficit enim mihi concessa illa potentia in statu s. n. qua per corpus organicum mundum contemplari, complura Deum ex operibus ejus glorificandi argumenta invenire, conceptus meos cum aliis communicare, illudque alimentis & quibusvis mediis necessariis per providentiam externam tutari & moderari queam, conf.

§. XXV. Nec erat necesse ut Anima Hominis interna & physica quadam corporis vitam producendi & conservandi facultate instrueretur, imo nec videretur possibile fuisse in præsentem tam brevium perfectionis suæ limitum statu, nisi novo perfectionum majorum augmento simul ornaretur; admiranda enim negotii vitalis administratio maximam perfectionem & prudentiam ac potentiam plane supra sphaeram activitatis animæ finitæ humanæ positam supponit. Ut adeo in hodierno suo statu

statu gratulari potius sibi anima debeat, quod Creator adorandus tantum onus ei imponere noluit; si enim illa tot motus, tam numerosas & diversas functiones, deliberationes, inventiones, excubias, &c. intus in corpore peragere, omnino omentum illi vitam dare, & a putredine atque interitu vindicare deberet, quæ quæso delictatio illi superesset quod corpori unita sit? nihil sane hoc pacto, nisi miserum & penitus materiæ immensum mancipium foret, nec unquam rebus seu salutem propriam, seu contemplationem Macrocosmi, aut civitatem hominum rempublicamque, vel rem œconomicam concernentibus, commode vacare posset. Impossibile enim est ut tor, tantæque actiones, ab eadem anima finita, eodem tempore rite & sapienter peragi queant, ipsa quoque experientia, quæ omni hypothese major est, idem contestante. Nam vel optimus Anatomicus quotide apud se experitur plures interdum horas imo dies aliis curis a se impendi, nulla vel confusa, nedum clara, habita ad cordis pulsuum cæterasque functiones reflexione. Utrum *Ecclasticos* taceamus, quorum Anima contemplationi rerum immortalium altius est affixa, quam ut ullum sui corporis vel externe, nedum interne, curam gerere valeret, corpore nihilominus supervivente. Divus Paulus 2 Cor. XII, iterata vice profitetur, se nescire utrum in corpore an extra corpus raptus fuerit in cælum; tantum abest ut animæ suæ virtutes partitus fuisset, earum quasdam vivificando corpori impertiendo, quasdam vero inenarrabilem Paradisi oraculorum contemplationi reservando.

S. L. Sapiens viam compendiosam eligit, neque entia præter necessitatem multiplicat. Cur igitur summe sapiens corporis nostri Causa tam numerosissimas peculiaris structuræ partes condidisset, & mechanicam plane earum coagmentationem adornasset, si illud inferioris atque conditionis, quam automaton quoddam humana manu fabricatum & motibus suis spontaneis ex voluntate sui Artificis gaudens, instar stiptis mere passivum & iners, foret, nisi illi omnes & singulos motus, spontaneos dictos, anima daret? Videtur hoc pacto illud quibusdam partibus carere potuisse, quas quidem ex necessitate sui mechanismi jam possidere debet. Verum omnia illa organa, quibus extra hominem in rebus naturalibus mechanice motus fieri & explicari solent, in corpore humano facile reperias, utpote in quo adsunt: columnæ, fulcimenta, propugnacula, ligamenta, tegumenta, hypomochlia, vectes, trochleæ determinantes, funes, prela, filtra, canales, alvei, receptacula, mechanicus nifus & renifus in invicem, fluida diversæ indolis, eorum motus circularis & intestinus, vasculosa totius corporis compages, omnium ejus partium ope canali-um mediata vel immediata communicatio, etiam remotissimarum ope nervorum connexio & consensio, (unde Hippoc. ait, *confusus unus, conspiratio una, consentientia omnia*) tam mechanica partium fabrica & coagmentatio, ut motum non modo recipere sed etiam continuare & sibi invicem reciproce communicare valcant, &c. Quæ omnia si quis ab otiosis præjudiciis liber non fugitive saltem contemplatur, neque supina quadam negligentia averfatur, neque occulta præ manifestis, neque

Naturam, solenne illud ignorantiae asylum, cum iis veneratur, quibus in reddendis phenomenon rationibus naturam nominasse sufficit. Facile intelliget in corpore nostro praesto esse *sufficientia principia physica*, ex quibus effectuum corporeorum spontaneorum in illo ratio explicari & demonstrari possit debeatque; adeoque non esse hic locum obscuris *terminis ac metaphysicis narrationibus*; & ita cum machina hac comparatum esse ut motus & impulsus vitales a causa prima ei inditi, sibi invicem alternatim succedere, & tamdiu durare debeant, etiamsi interdum a causis morbificis viribus vitae non praevalentibus alterentur, quamdiu sufficiens & praevalens causa illos perfecte siltat. Denique nulla iusta ratione spontanei corporis nostri motus, legibus motuum in macrocosmo, unice ex Mechanicis explicandorum, stabilitis, subtrahi possunt.

§. LI. Sed quid opus multis? cum experientia toto die obvia ac universalis, heic contradicenti in os reclamet; impotentiam enim animae in producendis motibus spontaneis satis superque docet manifestissima horum ab ejuſ, quantumvis saepe sepiusque contrarium enixe & anxie volentis, imperio ac regimine independentia. Dum non tantum ii motus spontanei, qui sub exercitatione vel cessatione motuum voluntariorum aequè durant, uti motus cordis, intestinorum, &c. nobis inscisi vel in vitis peragantur; sed & ii, qui abstractionem voluntatis ab exercitio motuum voluntariorum requirunt, ut status somni, animae imperium eludunt. Sic inter res ferias aut in locis ubi rationes civiles, nictationes & oscitationes abesse suadent saepe sopor dulcis & inevitabilis obrepit: e contra vero frequentissime corpore belle se habente & mollia inter pulvinaria locato, placidus, quem molliter cubans anhelat somnus, longius etiam cum indignatione oppertenti emanet.

§. LII. Paucis jam statum quoque praeternaturalem percurramus, in quo manifesta sit motuum spontaneorum *alteratio*, iis nempe aut imminutis, aut inordinatè succedentibus, aut plerumque excedentibus. Agedum ergo Patiens quocunque tandem morbo detentus, seu sub invasione dolorum & motuum morbosorum, seu iis in vigore constitutis, seu etiam jam superatis, severo scrutinio omnes modos operationum suae animae excutiat, & omnia quae sub morbi decursu sibi acciderunt volvat revolvatque; nunquam tamen deprehendet motuum vitalium in statu p. n. alterationem ab anima sua profectam fuisse, & ne vestigium quidem alicujus *intentionis, inventionis, deliberationis, ac directionis* motuum alteratorum ad certum finem, uti Hypothesis §. V. statuit, in sinu propriae conscientiae animadvertet. Quia potius ingravescente morbo, vel motuum voluntariorum, nedum vitalium, organa haud amplius nutui suo obtemperare observabit. Adeoque clarissime videt motus morbosos contra propriam conscientiam sibi obrudi & imputari; imo distincte intelligit manifestam contra leges logicas involvere *contradictionem*, dum statuitur quod anima in morbis ex sapienti proeresi illos intendat aut imminuat. Ponamus enim v. g. Medicum in Arte sua expertissimum Febre quartana contumacissima di-

divehari, examinetur ille in instanti paroxysmo utrum ejus recursum velit? negabit procul dubio; & tamen ex hypothesi, creditur quod anima cum prudenti consilio paroxysmum revocet. Quare nemo non videt contradictionem, dum una eademque anima eodem temporis puncto, & respectu ejusdem Febris, sapienter velit & nolit paroxysmi recursum.

§. LIII. Si anima morbosus quoque motibus præsit, eosque ex prævia estimatione sapienter excitet & dirigat ad viscera & totum corpus a periculo vindicanda. Cur quæso prima gravissimorum malorum semina mature non prævidet & averruncat, labem nempe incipientem viscerum nobiliorum, quibus tamen fortassis plus quam ignobilioribus occupabitur; sed postliminio insurgit motibus, dum sero medicina paratur? Cur in diæta tam sanorum, quam morbidorum appetitus incongruos excitat, hinc videmus homines plerumque in res sibi noxias ferri, sic cholericis spirituosos inebriantibus, animi affectibus præcipitibus, vigiliis: melancholici vitæ solitariae, cibis crassis, potuique parciori: hypochondriaci & hysterice acetarii, vitæ sedentariæ, &c. indulgent, quæ tamen eorum naturæ multum præjudicant. Cur in Gutta serena salvis oculis visum tollit? Cur anima seu natura illa sapiens periculosissimas suscipit exeretiones v. g. in Vomitu cruento, in Hæmoptysi, &c. imo postquam congruis remediis hæc mala fontica semel atque iterum sublata sunt, nondum tamen sapit, sed rursus hæmorrhagicam instruit, & non raro ad mortem usque exercet, tragediam? Cur in contagio corpori communicato tantisper non quiescit, donec miasmata sub involuero blandiorum humorum circulando ad loca exeretoria delata & excreta fuissent, ea enim mechanice non debent agere vel nocere; sed mox universum negotium vitale perturbat, & aut se abstrahendo vires prostermit; aut sanguinem, uti etiam in omnibus acutis morbis facere solet concitato flumine & orgasmo ad partes nobilissimas impetum minus sustinere valentes v. g. Caput pulmonesque propellit, unde non raro stasis, inflammatio, sphacelus, suffocatio, mors, subsequuntur. Cur in morbis chronicis nec remediis optimis, nec moralibus svadis, se ab erroribus abduci patitur? e. g. anima ex hypothesi in morbis arthriticis ac podagricis plethoram in viris per hæmorrhoides motibus eluctatoriis sapienter susceptis imminuere quidem vellet, sed aut liberalioris & sufficientis hæmorrhagiæ spem abjicit, aut aliis difficultatibus vel estimationibus pervasa motus tantum incompletos congestorios, eosque eminens & indirecte quasi instituit, ac tergiversatur &c. Jam vero scimus per complures sæpe annos podagricum miserrime excruciarî; cur igitur tanto temporis intervallo sapiens illud suo non sapit damno principium, cur per tot annos exquisitissima corporis sui tormenta non attendit; quin potius salutare & clementiores suscipit deliberationes? Cur passim in morbis adeo contumaciter spasticis stricturis insistit, ut citius sæpe occumbant patientes, quam eas, ceu summe perniciosa impedimenta, Ars medica relaxare, & ad reliquam tum curam viam sternere, poruerit? Cur plethoram

ram circa uterum vel hæmorrhoides collectam & provide a se eo *directam* ibidem sæpius stagnare permittit? cum tamen per tenera vasculorum orificia, quæ rarius (hypothesis enim dicta obstructions rarius attendit) essent obstructa, longe facilius foret moribus illis *eluctatoris elidere*, quam tanto cum motuum *congestio- rum eminus cominus* susceptorum apparatu ex reliquo corpore proæretice ad illa loca ducere & colligere, & inde vicissim pro vicariis excretionibus ad pulmones, Ventriculū, &c. recolligere & reducere. Cur in luxatione fæmoris musculis tantis per non relaxat, sed tam contumacissime distrahit aut distrahi patitur, ut summa sæpe vis requiratur ad repositionem membri luxati; cum tamen ex hypotesi, se *abstrahendo*, paralyticam resolutionem in membris causari possit & soleat. Cur in sola nervi vel tendinis per aciculam saltem punctura mox tales excitat febres vel convulsiones, quales venena deleteriæ indolis inducere paria sunt; quæ hic proportio inter causam & motus illi oppositos? Denique, ut innumera similia taceam, cur in epilepticis, sexcentis & amplius vicibus, tyrannicas & terrificas illas convulsiones exerceat, & afflictissimi sui corporis non miseretur? Speciosa quidem sed nimis *hiulca* heic occurrat *distinctio*, animæ scil. *intentionem* semper esse bonam & salutarem, utut *invento* in vindicatione corporis sit interdum erronea, adeoque eam pro quo nullius ejusmodi hypotheticæ intentionis per 20. vel amplius quoque annos pessime multati podagrici anima conscia esse potest: impossibile est, quin suo demum sapiens damno truculenta illa consilia, ne dicam carnicinas, si a se proficiscerentur, immutaret. Neq; Creatore dignum foret statuere, quod is tanta interna naturali potentia instruxisset animam, ut adeo enormibus & crudelibus modis in corpus sibi junctum deserviat. Deniq; per facultatis animæ moralis conditionem, suppositæ ejus facultatis vitalis habitudinem illustrare, idem est ac per *entia* probare velle *non entia*.

§. LIV. *Tragediam*, quæ in morbis nimia motuum intensione vel remissione luditur, tandem *mors* claudit; si igitur hos motus proxime mortem præcedentes anima ex hypothesi producat & dirigat, *augeat* in febribus & convulsionibus, *minuat* vero in apoplexia, marasmo senili, &c. neque se vel optimis remediis seu physicis seu moralibus ibi *avocari*, hic vero *revocari* patiatur: pronissimè omnino sequitur omnem spiritum humanum proprii corporis homicidam dici posse, & illum cuius corpus foris violenter interemptum est prærogativam habiturum præ illo, qui corpus suum domi instar stipitis immo- rum deseruit. Miseram animam! non satis erat illam quoad lapsus in *moralibus* a Doctoribus Moralium toto die, & dignissime sane, accusari; nisi etiam in *natura* dicasterium quoddam erigeretur, ubi illa vitæ domiciliū sui deperditæ rea posthac peragi posset.

§. LV. Si homini incisa cervice caput avallatur, observabis tam in hoc, quam in trunco motus v.g. contractionis & dilatationis paululum superstites, qui motus alias *vitales si in corpore diviso in frustis mechanice peragi atque possunt, uno cessans cordis*

dis motus, immisso in eius ventriculum dextrum per venam cavam vel ductum thoracicum statim, in cadavere per aliquod breve tempus resuscitari potest; multo magis iidem motus vitales in corpore integro vivo sponte perdurare possunt. Nisi animæ in frustis at huc militantis divisibilitatem concedere malis, quam vero Hypothesis dicta non adeo reformidat. Verum cum divisibilitatem substantiæ immaterialis ratio jam pridem ad absurdum familiam damnavit, multo minus revelatio eam admittat; ideo verbulum iam non addam.

§. LVI. Denique si illæ motuum intensiones ac remissiones ab anima provenirent, Therapiæ rationalis *certitudo* valde labefactaretur; quomodo enim Medicus *salutares* motus a *morbosis*, & hos ab illis distinguere norit? quandoquidem inter *Medicum* & hypotheticum illum *sensum vitalem* motus in Patiente administrantem & insensit vicibus aberantem §. LIII. nulla communicatio dari potest, cum vel Patienti ipsi de eo non constet. Ergo Medicus sola coniectura diinducabit *finis* & *estimationes* abstrusi illius principii, dubiusque hærebit: an *intentio*, eius *inventioni* respondeat? an inter eius motus pugnaces ac materialem causam proportio adsit? Cum enim anima hominis corpora particularia per sensus & experimenta solum accurate cogascat, causas vero materiales intra corpus latentis sensibus subicere nequeat, imo etiam si tactu perciperet, inde tamen earum molem texturam ac vires minime dignosceret; hinc liquet quod motuum causis materialibus correspondentium productionem & directionem suscipere neutiquam possit. Porro hærebit, an *indicationi* uni vel pluribus simul urgentibus, & cui præ cæteris succurrendum? & annon hac ratione si abstrusum illud principium pluribus simul *indicatis dirigendis actuandis* & *applicandis* intentum sit, singula minus feliciter restimare & secundare valeat, viresque diffusas perdat? &c. Medicus ergo in exhibendis pharmacis anceps semper manebit, noxius quoque motus v.g. vomendi conatus post iram prægressam, calculum in ureterem impactum, &c. facile pro salutari naturæ seu animæ molimine habebit, imo secundare sed panitendo cum successu oleum nempe igni affundendo, conabitur. Porro non video qui possit hac ratione Medicus patientis fidem demereri & diffidentiam erga se, quæ optima sæpe medicamenta eludit, præcavere, si illi percontanti, unde sibi adeo gravissima symptomata spastica v. g. in podagra, accidunt? respondeat, ab anima eius ea produci & sustentari; nisi Therapeutæ ille cui *anima* & *natura* idem sunt, ambigæ vocis naturæ *pallio* responsum suam *involvat* & secundet.

§. LVII. Plures adhuc ratio recta & experientia suppeditant rationes, quæ impotentiam animæ in productione motuum spontaneorum tam in statu i. n. quam etiam p. n. demonstrant, sed sicco pede eas transire iam lubet. Priusquam vero Sententiæ §. III. conf. XXXIX - XLII in præcedentibus assertæ utilitatem ac necessitatem in Arte Medica breviter indicarem, operæ omnino prærium fore iudico, si difficultatum maximam partem ex Hypothesi §. V. depremtarum præcipuas renovo,

§. LVIII.

§ LVIII. LXX.
*Objectiones ex
 Hypothesi §. V.
 de proni solite
 ita diluuntur ;
 ut adynamia a-
 nimæ in produ-
 ctione functio-
 num corporis
 nostri spontane-
 arum amplius
 illustretur ac
 concludatur.*

§ LVIII. Inter *difficultates* vero vel si *mavis objectiones*, agmen ducere & palmaria esse videtur, quod ab *Animi affectibus* pulsus cordis cæteræque functiones spontaneæ vitales & naturales diversimodè affici & alterari possint; eas igitur non alia causâ, quam anima producat. Licet vero hoc argumentum præiudicium facere illi posset, qui §. VII, dicta attendere nesciret aut nollet; attamen contra sententiam nostram §. III. nihil minus probat, quam probare debebat. Ab *alteratione* enim motuum spontaneorum ad eorum *productionem* nulla est necessaria sequela; multarum siquidem rerum statum quotidie alterare vel destruere possumus, quem tamen nunquam produxeramus aut producere valuissemus. Deinde præter animi affectus, complures sunt causæ, quæ corpori nostro interne vel externe applicatæ, mox universam functionum spontanearum symmetriam immensum in modum alterant, de quibus pari iure concludi posset quod eas producant. *Aliud* igitur est motum in corpore penitus quiescente producere, *aliud* vero cum iam præsentem ex aliis causis dependentem alterare posse. Affectuum ergo animi sequelæ in corpore nostro se prodentes nihil aliud probant, quam quod anima & corpus organicum ærtissime cum invicem unita sint, ita ut unius commoda vel incommoda ex lege unionis præsentis inevitabiliter in alterum redundent: & vice versa, e.g. vehementissimam iram sæpe ductuum biliariorum spastica commotio, inde nimia bilis in primas vias effusio, nausea, anxietas, cholera, causus, deniq; mors sequi possunt, hominis interim irati anima hæc sequelas haud intelligente, multo minus volente. *Quamobrem* longe aliud est fieri aliquid in corpore *ab* anima tanquam *causa* illud intelligendo & determinando *efficiente*, aliud vero *propter* animæ cum corpore *unionem*; cum illud veræ *causæ efficientis*, hoc vero necessariæ ex lege unionis *conditionis* ideam tantummodo involvat, uti dictum §. VI. Cæterum qui innumerabiles nervorum distributiones, varios plexus & communicationes cum invicem, originem eorum non nimis longe ab invicem distitam, mutuum organorum motuum voluntariorum cum illis spontaneorum mediatam vel immediatam connexionem, &c. attendit: is videbit necessitatem, iuxta quam non modo ne vi voluntatis imperio obediens, sed etiam spontaneis functionibus dicari, per enormes animi commotiones exagitantur & simul in consensum trahantur. Tantum vero abest ut ab animi affectibus, nniversalis sapiens & directæ ejus in omnes corporis partes potentia stabiliri queat, ut potius indidem summa ejus *adynamia* elucescat; post prægressos enim graves affectus, *velit nolit* anima, nimis tamen inprimis in corpore disposito alterationes suboriuntur.

§. LIX. Ejusdem valoris est argumentum *a vi imaginationis* nævum in embryone, nauseam, vomitum, &c. in delicatis & sensibilibus subjectis causantis, de promptum. Ubi rursus ab *alteratione* motuum spontaneorum ad eorum *productionem*

nem, a potentia indirecta seu conditione *necessaria* ad *causalitatem liberam* & directam, imo a statu præternaturali ad naturalem, & a particulari ad universale, haud legitime concluditur. Conclusio igitur talis: ab animæ imaginatione hi vel illi effectus in corpore se produunt, ergo anima est causa omnium in illo motuum, haud magis procedit ac illa: Ipecacuanhæ radix vomitum causatur, ergo omnis vomitus vel similis motus p. n. ab illa solummodo produci potest. Vis itaque imaginationis rursus nihil aliud probat, quam arctam animæ cum corpore unionem. Quoniam fetus cum corpore Matris adeo cohæret ut unum continuum quid cum eo constituat, & ratione teneritudinis suæ motuum impressioni facile locum det; si tam fortis & prava matris imaginatio præcedat, quæ etiam nervis per uterum ad fetum pertinentibus motum imprimere valeat extraordinarium, hæc impressio continuabitur usque in uterum, inque tenello nec motibus resistere valenti embryonis corpusculo, maximam tamen partem jam perfecto (primis enim mensibus vis imaginationis parum aut nihil hic efficit) adeoque impressionis vestigium retinere potenti, cum notabili effectu, quem nævum appellamus, facile terminabitur. Qui vero attendit in Gravidis statum sanguinis humorumque cacochymicum, plethoricum, spissum, & hinc natam dispositionem melancholicam; item partium nervosarum & fibrosarum (quæ etiam extra graviditatem in iis sunt magis quam in Viris mobilibus, tremulæ, teneræ, ac sensibiles) in nonnullis visceribus nimiam & mirabilem distensionem; & cætera quæ gravidis accidunt: is haud adeo mirabitur, quod in iis adeo profundæ melancholicæ, efficaces & diu persistentes pravae imaginationes proveniant, quales extra hunc statum non observantur. Si in subiectis sensibilibioribus & assuetis ingratis emeticis aut purgantibus cujusdam effectus in proprio vel alieno corpore antea jam observatus, nimiae aversationis memoriam reliquit, dum hæc efficaciter resuscitatur, motus fistulae intestinalis peristaltici aut sursum inversio aut deorsum intentio sequi potest. Maxima ergo imaginationis vis nulli attendenti neganda mnice ex necessitate, quam Creator in unione animæ cum corpore liberrime statuit, deducenda est; velit enim aut nolit imo reluctetur licet anima, prægressam tamen ejus pravam efficacem imaginationem, pravi in corpore disposito & facile mobili effectus, modo nulli mortalium adæquate comprehendendo, consequuntur.

§. LX. Convenientia quædam *actionum vitalium* & *moralium* in homine probat equidem rursus arctam animæ cum corpore unionem; tantum vero abest ut universalem animæ in producendis & dirigendis omnibus sui corporis motibus potentiam demonstraret, ut potius ex opposito potentiam corporis in animam, & quandam huius ab illo dependentiam manifesto evincat. Equidem Anima rationalis est substantia infinite nobilior ipso corpore, in se & sua natura æterna, & nec quoad existentiam nec quoad essentiam suam a corpore & pulvere dependens; nihilominus tamen functiones suas ordinario non nisi juxta conditionem corporis sibi uniti in hac vita e-

xercere potest, idque ex liberrimo Creatoris placito, & hæcenus multum a suo corpore dependet ac patitur. Unde diversa corporis in diversis ætatibus habitudo, structura, mixtio & status, non modo causa vera ac genuina est, unde temperamenta, commoda vel incommoda, seu morbi certis ætatibus aut etiam salubritas, propria, explicari debent; sed etiam est conditio hypotheticæ necessaria, juxta quam status animæ constitutus esse solet. Hinc sæpe videas in certa habitudine corporis vix ac ne vix quidem mutari inclinationem & indolem animi, accuratissima licet accedente institutione, nisi prius habitudo & temperatura corporis per insequentem ætatem & vitæ genus mutetur, aut extraordinaria gratia sanctificans accedat. Adeoque manifesto patet quod animæ functionum status & conditio naturalis in diversis ætatibus talis est, propter talem corporis statum & habitudinem; cum e contra diversa corporis habitudo structura ac mixtio in diversis ætatibus, non propter animæ sibi unitæ essentiam (quæ vel juxta Hippoc. Lib. de Diæta §. 21. eadem in omnibus hominibus & semper sibi similis est, corpus tamen uniuscujusvis differt nec unquam idem in ullo aliquo est, propterea quod passim secernatur in omnia, partim misceatur in omnia) talis sit. Itaque concludo, quod prout functiones vitales & naturales magis vel minus expedite & vegete fiunt, & imprimis prout est status *τῆ ἐννεόθεν*: ita etiam anima magis vel minus prompte suas exsequitur operationes. e.g. si in corpore quodam fibræ & vasa sufficiente elasticitate, vegeto motu constrictorio & relaxatorio capacitateque justa gaudeant, & fluida in illis lata debita crasi & fluxilitate prædita sint; expedite sane in illo functiones vitales & naturales peraguntur, consequenter anima quoque arctissime eidem unita cum facilitate tunc omnes suas actiones exercebit, & ingenio atque memoriæ suæ constabit vigor. Unde Hippoc. ait, *Magni refert quali in corpore Animi locati sunt, multa enim in corpore existunt quæ acunt mentem, multa quæ obtundunt.* Ill. Cartesius, *Animus adeo a temperamento & humorum corporis dispositione pendet, ut, si ratio aliqua possit inventiri quæ homines sapientiores & ingeniosiores reddat, quam hæcenus fuerunt, credo illam in medicina quæri debere.*

§. LXI. Afferitur porro, quoniam corpora sunt *substantiæ mere passivæ*, ideo omnem motum ab entibus spiritalibus accipiunt. Cum vero in corpore humano adsit anima, cui ex sua essentia nil nisi motus competant, motus voluntarios producat; fatius esse motus quoque spontaneos illi potius, quam principio cuidam corporeo adscribere. Ubi etsi darem corpora nullo motu sibi indito gaudere; a *particulari* tamen animæ motus quosdam producendi *facultate* ad *universalem* omnes corporis motus efficiendi *potentiam* nulla est necessaria sequela; imprimis cum anima facultatis illius particularis conscientiam, huius vero potentiae nullam habeat. Et præterea dum anima motu voluntario aliquam imperio suo subiectam partem movet, non est putandum quasi hæc antea in quiete absoluta fuisset constituta; quin imo motum & statum suum vitalem habuit priusquam voluntas mutationem
status

status in illa determinasset. §. XXVI. XXVII. Deinde assertio, quod animæ nil nisi motus competant & quidem ex eius essentia, est Philosophiæ confusæ soboles; cum anima accuratorem sui ipsius cognitionem non acquirat movendo, & quod eius essentiam non motus, sed alia potius attributa absolvant, Metaphysica sanior evincit; quicquid autem virtutis in corpore suo movendo habet, id vero omne Creatori acceptum refert, quod tamen latius quam par est extendi, eique præter & contra propriam conscientiam amplificatum attribui minime debet. Corpora solummodo ut *extensa* absque aliis qualitatibus considerata passivæ quidem sunt naturæ, adeoque motum ab alia causa eaque Omnipotente accipere debuerunt, quæ uti corpora in motu creavit ita etiam eadem & eorundem motum sapienter conservat, ratione & revelatione id evincitibus. Licet ergo corpora respectu Creatoris, qui illis motum indidit eumque sapienter gubernat, mere *passiva* sint, nihilominus respectu sui invicem *activa* quoque sunt, quatenus ratione structuræ seu mechanisimi sui & legum in natura stabilitarum se invicem, seu *causæ secundæ*, movent, & motus suos cum invicem communicant, seu motibus suis id efficiunt ut aliorum motus excitentur, idque absque assistentia & directione affectorum principiorum animatorum. Insensatus enim physicarum rerum contemptor ille sit, qui non videt non modo mobilitatem, sed etiam manifestam in corporibus seu artefactis seu naturalibus se invicem movendi potentiam adesse, mutuam actionem & reactionem, nisi renisumque in invicem; quantum aeri, ætheri, & variis corporibus insit virium motricum & motuum actualium, experimenta physica & chymica quotidie perdocent, & refutant illum, qui sane non sine præiudicio omnipotentis & providentiæ Divinæ evincere vellet, quod ille corporum in hoc universo motus producere & conservare per *causas physicas* non posset, sed singulis aliquo unquam & usquam motu movendis totidem *spiritus*, qui illa moverent, præficere debuisset. Cum igitur Deus corpora particularia varia motibus, juxta certas & perpetuæ veritatis leges, *physice* contingentibus & ad sensum manifestis instruxerit, eademque cum suis sibi congruis motibus conservare sapienter voluerit, saniore Physica id comprobante, & etiam S.S. suffragante ac membris nostris actiones naturales deferente 1. Cor. XII. v. 25. cumque motuum in nobis spontaneorum administrationem animæ nostræ haud detulerit, uti id in superioribus evicimus: apodictica ratione concludere omnino licet, quod corpus nostrum seu potius eius mechanismus *active* se habeat respectu motuum spontaneorum eosque producat ac determinet, sub efficaci nempe & sapienti Creatoris providentia. Cui quemadmodum indecorum non fuit corpus nostrum vivum seu vitalibus motibus instructum condere: ita eidem inglorium non est illud idem absque interna & physica animæ nostræ causalitate, secundum leges motuum mechanico-microcosmicorum a se stabilitas porro etiam vivum conservare.

§. LXII. Monere vero hic juvat, quod minime sit oblocutioni illi locus, quasi asyllum ignorantis vel fidei ariculum conderem, dum passim Creatorem nominavi, eidem corporis nostri vivi productionem, physiceque eius vitæ absque interna cau-

fali animæ finitæ assistentia conservacionem, legum motus tam in macrocosmo quam in microcosmo stabilimentum ac sapiens gubernium, deferendo; hæc enim assequi licet etiam lumine naturæ. Ut adeo Creatoris apposite & apprime heic æneminerim, eidemque reverentiæ non modo in revelatione sed & ratione imperatæ officium merito detulerim; malim enim inter philosophandum *Causæ primæ* creationem & providentiam digne attendere, quam id quod illi deferendum erat, ex toto aut ex parte eidem subtrahere, & aut spiritui cuidam universali hylarchico, aut spiritibus particularibus materiis seu corpora formantibus, informantibus ac vitaliter actuantibus, aut vi plasticæ seminum singula proprie & per se figuranti, aut naturæ cuidam universali tanquam omnium rerum fabricæ & almæ parenti, &c. adscribere; nullam aut mancam Dei *Creatoris & Reſtoris* ideam ingenerando & mentionem injiciendo. Siquidem hac ratione non nisi opinionum monstra in Philosophiam ab eius incunabilis hucusque redundarunt.

§. LXIII. Dolet nimium durumque esse ait Hypothesis §. V. quod corpora viva a Philosophis & Medicis Mechanicis in brutas machinas automaticas mutantur, cum tamen in his secretiones & excretiones ad salutarem finem tendentes, spontanea in læsionibus suis restitutio, &c. minime succedant, uti id in corpore vivo observamus. Verum ex superioribus liquido patet me non modo dissentire a systemate Leibnitiano omnes corporis nostri motus, etiam voluntarios, ex necessitate automatica sola deducente; sed & asseruisse complures corporis nostri vivi motus ab anima vel tanquam *causa* intelligente & determinante, vel ut *conditione* necessaria, proficisci, licet pro dispositione partium organicarum, adeoque mechanicæ, decurrerent. Illos vero saltem motus, quos ab animæ imperio nec fieri, nec dirigi, neque dependere manifesto experimur, ob rationes evidentissimas & apodicticas ex mechanismo machinæ corporis nostri derivasse. Dissimilitudo igitur inter motus *machinarum pure automaticarum* uti sunt v. g. horologia, & inter motus *machine nostræ vivæ*, nihil aliud probat, quam diversum Architectum, & diversum partium usum, quem diversus intendit Architectus; distingo igitur inter machinas *naturales* Divina manu conditas, & inter *artefactas* seu humana manu fabricatas; hinc haud mirum est si in illis longe nobiliores, mirabiliores, pluresque motuum species occurrant, quam in his. Sæpe non unam sed plures motuum species, easque plane stupendas in automatibus artefactis sponte peragi videmus, & quidem intentioni fabricantis conformiter. Quod si admititis, cur quæso invideres, sub quocunque tandem prætextu, mechanismi corporis nostri, eiusque motuum spontaneorum placito infinitæ potentie & sapientiæ Architecti correspondentium *excellentiæ* automaticam seu *mechanicam*? cum longe plures, diversas & magis admirandas actiones in machina corporis nostri, quam in illis artefactis, peragi posse & debere facile pervadeamur. Hæc enim & Conditorem habet perfectissimum, & partes motibus variis & automaticis peragendis aptas longe numerosissimas, earumque

cuna

cum invicem coagmentationem, communicationem, consensionem & concinnitatem longe subtilissimam ac libratissimam possidet. Ut adeo mirum non sit se- & excretionem &c. in ea fieri, quæ in horologiis non fiunt, & læsionem sua sæpe sponte restitui; dum enim per potentiam cordis motricem & vasorum elasticitatem humores corporis iugiter in circulum aguntur, & tonus solidorum continuus adest, si circulus illorum aliquibus in tubulis impeditur, lege pulsus cordis sanguinem indefinenter a tergo impellentis aut expeditur per eosdem tubulos dilatabiles; vasa enim humores vehentia sunt indeterminatæ capacitatis uti id aneurismata & varices testantur, aut fluida per vasa vicina & lateralia dilatata dum a tergo urgentur viam sibi necessario inveniunt. Adeoque circulus sanguinis humorumque cum functionibus vitalibus inde pendentibus multum quidem a variis causis augeri vel minui, idem tamen difficultates hinc inde obvias eius viribus non prævalentes sponte vel arte adiutus superare, tumque in statum naturalem redire, & tamdiu durare potest, donec tandem causa adsit, quæ illum perfecte sistat & ad quietem reducat. Benignissimus enim Creator longe melius machinæ corporis nostri providit, quam horologus suo horologio; siquidem adeo numerosa singulis partibus dicavit vasa, ut hæc facile mutuam ac vicariam sibi invicem præstare possint opem, nec statim necesse sit ob quævis sufflamina hinc inde enata vitalem sanguinis motum in universum tolli. Denique habemus parallelum in rebus pure physicis exemplum, ubi illæ suapte restituntur, sic arbores levius fauciatæ modo spontaneo & pure physico cicatrice obducuntur, & reviviscunt absque principio animato *sapienter cicatrifante*; nisi *Dryadas* in illis eam fabulosa antiquitate comminisci malis.

§. LXIV. Dum tantopere urgetur, motus vitales in corpore nostro adeo *sapienter* ad certos fines peragi, & tantam esse functionum symmetriam, &c. Parum moror, utpote qui universam negotii vitalis administrationem non modo *sapientem* sed *sapientissimam* Deoque dignam esse dixi §. XLVIII. Illa igitur absolvitur vel maxime per sapientiam, sed non *instam* animæ nostræ, uti evictum iam est, neque corporis nostri, utpote quod sapientiæ capax non est; verum *externam*, adorandi Creatoris, qui certis motibus solidorum & fluidorum corporis nostri certos fines & effectus, nobis etiam insciis vel invitis consequentes, alligavit. Unde patet indignam esse obloquutionem illam, quæ corporis nostri motus spontaneos physice & mechanicè explicatos, *fugitivos, tumultuarios, fortuitos*, &c. appellat. Mechanicus enim spontaneos illos motus minime ex tumultuariis causis, sed ex legibus *constantibus* a Causa infinitæ sapientiæ stabilitis in quocunque corporis vivi statu deducit aut explicari & deduci posse intelligit. Neque vitam corporis ut actum tumultuariam & *fortuitum*, quin imo tanquam actionum spontaneorum actuosam quandam *continuitatem*, seu iuge exercitium ex mechanismo organorum vitalium, iuxta institutionem sapientissimi Architecti necessario & constanter consequens considerat. Motus quidem aliquis spontaneus v. g. *actus hepatis* potest fortuitus dici respectu animæ, quæ illum nec producit nec dirigit, imo ipsa inscia peragitur;

non tamen ideo fortuitus appellari debet respectu cordis, quod suo motu reliquis partibus motum & vigorem conciliat; multo minus respectu proprii mechanisimi bilem fecerentis; omnium minime respectu Conditoris, qui hepaticus, & non lactis, secretionem alligavit. Porro quis neget phaenomena Plantarum sapientissime succedere, utpote quae virent, vigent & vitales sibi motus secretorios & excretorios habent, cum tamen ratione destituantur. Novi equidem, quod Hypothesis §. V. quoniam pro principio sibi ponit Animam producere omnem motum in corpore suo, necessitatem suis Affectis imponat omnibus corporibus naturalibus motu aliquo ordinato praeditis animam rationalem attribuere; hinc qui eam latius defendunt eiusque mysteria in recessu suo complexa produnt, Plantis imo & Planetis animas prudentes, motus in iis producentes & dirigentes, concedere haud dubitant, Sed haec rationi & revelationi non conformia mitto, neque jam contra Hamadryadas aut Semideos Planetarum Rectores calamum exercere juvat. Bestiis equidem complures eximii in Philosophia seu sectaria seu ecclesiastica Viri rationem aliquam, aut potius *rationis* quoddam *analogon* concedunt, rationem reddentes quod actiones illarum quibusdam nostris operationibus simillimae, quas manifesto ab anima nostra dependere novimus, ex motu pure mechanico haud possint intelligi & explicari. At vero dum Hypothesi §. V. additi animam gradu saltem inferiorem humana bestiis deferunt, non saltem impelluntur ob rationem dictam, sed maxime ob suam hypothesein animam sapientem in brutis negotio vitali praeficere debent, quae motua cordis ceterasque actiones vitales in illis, uti anima nostra in nobis, ex praeresei prudenter producat & dirigat. Quod vero indicasse jam sufficit.

§. LXV. Necququam praesidium quaeritur in illa Protoplastae inauguratione, qua corpori ejus efformato halitus *vitalis* inspiratus fuit; praeterquam enim quod inter ejus & corporis nostri formationem differentia notissima intercedat; etiam si illud quoad solidas & fluidas partes absolutum nullos motus vitales ante unionem cum anima habuerit, sed tunc demum obtinuerit, an coordinata pugnabunt? Conditor eodem tempore (nec juvat hic moram concipere) & animam corpori & propriam corpori vitam indere potuit. Sed urgetur in textu sacro Spiritum *vitarum* legi, adeoque anima non solum suam haberet vitam sed & corpori vitam daret; verum quam lubrico hoc nitatur talo Philologiae tyro intelligit, quae docet vocabulum illud numeri pluralis carere singulari, adeoque pro hoc poni; & praeterea Hebraeos saepe Genitivum substantivi usurpare pro adjectivo, quo saepe carent. Adeoque Spiritum vitae heic significare spiritum vivum nemo non videt.

§. LXVI. *Ferma dat esse rei*, unde asseritur, quoniam Anima formam hominis constituit, ejus definitione, quod sit animal rationale, id testante; ideo suum corpori esse dat, illudque quemadmodum in utero a primo conceptionis momento efformat, vitalibus motibus instruit, ita etiam post partum vitam partibus & toti corpori dabit, illudque a putredine vindicat; utpote quod intime cognoscit juxta ca-

nonem: *Anima tota est in toto corpore & tota in qualibet ejus parte*; Et homo tamdiu tantum est homo, quoad anima manet cum corpore & ab administratione vitæ se non abstrahit, postea vero licet mechanismus solidorum, & fluida nondum coagulata, adsint, tamen cadaver immortum manet. Ut ut vero maximam partem hæc ratiocinia, utpote qualia sanioris Philosophiæ neglectus vel aversatio parit, vis animadversionem mereantur; nihilominus breviter noto, formam hominis non in anima sed ejus cum corpore unione consistere, & vulgarem illam Hominis Definitionem multa imperfectione laborare, eique meliorem substitutam esse §. VI. Porro falsissimus est canon allegatus, cum ex immateriali materiali substantiam, & materię coextensam faciat. Etiam sententiã propagationis animæ per traducem pluribus difficultatibus jam non recensendis premitur; multo magis adhuc assertio, quia fetus in utero ab anima efformari & extrui statuitur, non modo infinita tenebrarum abyſſo obvoluta nec unquam evolunda obruitur, verum etiam Conditore adorando injuria est; sapientem enim corporis nostri efformationem & partium ejus noticiam sacrę paginæ in solidum ei deferunt, vid. Job. C. X. v. 9-12. Psal. 139. v. 13. 1 Cor. XII. v. 18. &c. Ut adeo fetus mechanicę & physice formetur sub directore Entis infiniti, non vero finiti. Deinde haud bene a simultanea animæ & corporis in homine præsentia, ab illa hoc formari, vivum produci & conservari concluditur; cum eorum quæ simul existunt, unum alterius causa non illico & necessario dici debeat; alias pariter concludi posset, quod corpus vicissim animam suam, cum qua simul existit, producat aut minimum conservet ac sustentet, adeoque hoc intereunte illa quoque intereat, id quod athei mallent. In Homine anima & corpus simul existunt, non quod unum alteri existentiam primo & porro daret, sed quia neutrum absque altero Hominem constituere potest, & nec anima absente corpore *ſines* suos §. XXV, & XLIX, assequi potest, licet ipsa seu substantia nobilior & rationalis separatim quoque existere queat; non enim in hunc solum finem creata est ut corpore uteretur organico; neque corpus absente anima organi vices gerere & nomen mereri quit, imo nec est necesse illud eo modo ac in statu unionis subsistere, non enim in eum finem creatum est, ut saltem motus spontaneos haberet (quo pacto illud absente anima instar cujusdam animalis formosi supervivere posse contradictionem non involvit), sed maxime in eum, ut animæ ministraret & complurium ejus operationum organum foret. Quod igitur absente anima in corpore mortuo non amplius fiant motus spontanei & vitales, inde nihil aliud sequitur, quam quod præsentia animæ requiratur seu supponatur motus illos; his enim absentibus, illa organis suo imperio subiectis amplius uti nequit, adeoque e corpore migrare debet. Mors igitur seu cessatio unionis animam inter & corpus contingit, non quod illa se ab administrando negotio vitali abstraheret; sed quia corpus destructum seu plane ineptum redditum organi vice amplius fungi nequeat. Quod firmis tam ex sacro quam physico fonte depromis rationibus probari posset, nisi adynamiam animæ in productione & directi-

rectione interna vitæ corporeæ in præcedentibus demonstratam dedissem. Denique in cadavere, ut ut recentissimo & nondum putrido, necessario semper adest causa mortis physica efficiens *sufficiens*, quæ principum organorum vitalium functiones penitus sufflaminauit, quæque eadem, vel eius productum, obstat quominus illæ ulla medicina humana constanti suo exercitio restitui possint; quod si vero impossibilitatem continuationis vel restitutionis functionum illarum ideo negaveris, quod crassis sensibus vel cultro anatomico impossibilitatis huius rationem assequi nequeas: neque quoque oportet corpus mortuum & animam separatam esse.

§. LXVII. Commendari quoque utilitas Hypotheseos §. V. exinde solet, quod posita Naturæ sapientis seu animæ universali in suum corpus causalitate, facile & breviter omnia tam in statu s. n. quam p. n. obvia phænomena explicari possint, &c. Verum non sufficit quam *facile* & breviter phænomena explicare norimas, sed quam *bene* & recte illa ex Principiis claris & sufficientibus demonstrantur, in primis quaeritur? Sane Medici, qui toti in *fermento* sunt,ensem quasi Delphicum nacti sunt, qui in omnes partes facile torqueri queat. *Helmontius* facillime & pro-lubitu suum regit *Archeum*, &c. verum horum & similium hypotheseos facilitatem præferentes quo applausu hodie excipiantur, ex historia medica notum est. Neque elaborata principiorum cum Principio per totum systema cohesio illico character est hypotheseos veræ; cum falsissimæ sæpe hypotheseos ita adornari possint & soleant, ut consequentia cum antecedentibus sic satis connexa appareant. Neque felix vel saltem innocuus in Praxi clinica interdum successus illico Principii Medicorum sectariorum veritatem evincit; annon enim utilia sæpe Galenus aut Helmontius in praxi sua tam quoad prophylaxin quam therapiam morborum præstiterunt? ut ut obscure ille ex suis *qualitatibus*, & falso hic ex putativis *arceis* phænomena explicarint. Verum quid iuvat nuncium mittere illis Principiis, quæ clara sunt, omniumque sibi rite attendentium intima conscientia, experientia ac consensu comprobata, velle per talia destruere, quæ obscura incerta & abstrusa sunt, nec unquam demonstrari queunt? Præterquam enim quod ex obscuris & insufficientibus principii claræ explanationes & demonstrationes depromi nequeant; ita cum illis comparatum esse solet, quod suis Patronis in complures difficultates sæpius non prævisas se intricandi, multa manifesta negandi vel obtorto collo detorquendi necessitatem imponere soleant, iuxta vulgare illud, at verissimum, effatum: *Absurdum unum plura parit absurda*. Hinc qui omnium motuum in nobis productionem principio animato defert, ille vitæ, sanitatis, morborum, mortis causas, elementorum, alimenterum & medicamentorum operandi rationem, contra mentem principiorum in cuiusvis conscientia & experientia fundatorum explicare; corporibus quibusvis ordinato quodam motu motis sapientem animam adscribere; Anatomem & Physicem negligere vel superficialiter saltem tractare, &c. cogitur. Postquam enim in ipso initio studii Medici omnes in obiecto suo functiones abstruso & ignora-

to cuidam *sensu vitali* consecravim, iam habet amplissimum, sat cito si sat bene com-
paratum, omnis in Medicina aetiologiae thesaurum, & saltem superest quod copiam
styli & terminorum acquirat, quibus sensus illius divitem & pro lubitu variabilem
penum spondentis prudentia in functionibus bene decurrentibus exornari, in eventibus
vero male vel funeste cedentibus *mala inventio* prae textu *bonae intentionis* excu-
sari assolet. Sane si Philosophia melior & in specie Anatomia, Mechanica, Physica
& Chymia experimentalis, aetate nostra cultiores nondum faciem praelucent in
explicandis spontaneis nostri corporis motibus; mallem tamen quoad illorum ori-
ginem & dependentiam ingenue ignorantiam meam profiteri quam animae meae
insciae & invitae adscribere, & sic rursus in orbem volvi, & modum ex *occultis qua-
litatibus & terminis* obscuris philosophandi in apricum protrahere.

§. LXVIII. Porro frequenter imputatur, quod eorum qui functio-
nes spontaneas animae adscribere nolunt §. III. Principia sint nimis
universalia, vaga, nexum causalem in Pathologia non doceant, multa
ex iis explicari nequeant, unde inter eos diversi diversa sentiant, ple-
rique minutias capient, &c. Sed haec facile in Hypotheseos §. V. se-
ctatores retorqueri possent; at nolim antithesin directam prosequi,
malim potius ut in praecedentibus, ita etiam insequentibus *solutionum
fontes* ita subministrare, ut sententia mea jam asserta, amplius illustretur
& stabilietur. Immerito vero illi §. III. eodem omnes numero ha-
bentur; cum recentiores Med. rationalis Doctores minime cum iis
faciant, qui in Physicis universales, abstractas, indeterminatas hypo-
theses comminiscendo mox immenso saltu ad corpus nostrum sin-
gulare descendunt, & in hoc unice ex illis eventus Medicos explica-
re volunt, & nullibi non *Postulatorum* suorum copiam, *Datorum* ve-
ro penuriam produnt. Verum toti in eo desudant, ut Artem tam variis variarum Se-
ctarum opinionibus onerata, certa ab incertis, falsaque a veris severe segregando;
liberent, & eam in sua simplicitate, consequenter veritate sistant ac commendent;
plurimum enim interest ut Ars, in qua res maxime serio aguntur, & a qua salus ho-
minum naturalis pendet, non opinionum monstris sordescat, sed veritate, quae sem-
per est simplicissima, splendeat. Jubent itaque ut sufficientibus requisitis jam in-
structus animus ante omnia structuram corporis hujus singularis, & deinde omnes
in ea actiones tam in statu s. n. quam p. n. fideli ordine, patienti mora, & accura-
ta attentione discat atque observet: ex iis *arbitrarias* Menti, *spontaneas* vero Cor-
pori, ut *Principiis*, sapienti *distinctione* deferat: ex his *observatis* tanquam *dati* &
manifestis ad magis ignota detegenda assurgat, & *gesta* in corpore difficiliora per
evidentem *gestorum* analogiam explicet: pro demonstrationibus vero suis non hypo-
theses gratis confictas, sed talia assumat Principia, per quae sola corporum vires ge-
nerales & singulares patent, ut sunt experimenta Mechanica & Physica. Quo pacto
tantum abest ut a systemate horum Doctorum nexus causalis in Theoria sanitatis

§. LXVIII -
LXIX. Medi-
cine rationali
mechanica
Systema, ejus-
que Cultores
ab accusatio-
nibus quibus-
dam defen-
duntur, co-
rumque prae-
cepta quaedam
ac methodus
breviter recon-
sentur.

vel morborum abesset; ut potius in Medicina, quæ ubi pure colitur ob insignem in ea causarum & effectuum subordinationem & coordinationem præ aliis Artibus demonstrationum feracissima est, nulla alia ratione eximia illa connexio causarum remotorum & proximarum in determinato sanitatis vel morbi effectu patere possit. Ut adeo miserum est putare, non fore *nexui causali* locum in Philosophia corporis humani sani vel morbofi, nisi ubique spiritus effectibus præficiatur.

Porro haud diffiteor, multa in corpore nostro superesse *desiderata*, inprimis ea, quæ vel elaboratissimorum microscopiorum aciem eludunt, quorum *mechanismus peculiarissimus* nos latet; adeoque phænomena inde pendentia ad rigorosam Geometricarum demonstrationum libram expendi non posse. At hoc fit non propter insufficientiam Principiorum Mechanicorum, sed ob limitatam intelligentiæ nostræ perspicaciam. Annon vero satius est in creaturis vestigia *infinite* sapientiæ ipsius Creatoris, quæ *finite* intellectus comprehendere nequeat, agnoscere; quam *hypotheses precarias* assumere, modo quælibet phænomena non manerent non soluta utcumque. Fieri etiam potest, prout per ætates labore improbo sæpe factum, ut ea quæ hæcenus *impossibilia* intellectu hæc visa sunt, ætas futura felicior inveniendo & explicando *possibilia* fuisse doceat. Deinde ex observationibus Veterum & Recentiorum, atque ex feliciori cultura Anatomix, Mechanicæ ac Physicæ recentiorum, possidemus jam tot præsidia, quæ ad mechanicam negotii vitalis explanationem & demonstrationem satisfaciunt; & vitæ sanitatique conservandæ ac morbis propulsandis, quorsum unice salutaris Medici scopus respicit, auxiliantur eximie; imo etiam per prudentem applicationem nos in difficultium & ignotarum rerum indaginem perducunt. Ut adeo cordatum Medicum haud morabitur ignos ratio quorundam, quæ maximam partem sunt extra nexum finis sui principalis posita; neque injusta præcipitancia eo rapiet, ut ea quæ per rationem & experientiam clara sunt hæcenus principia, propter aliqua phænomena illis addictorum industriam atque fugientia rejicere aut negare lustineat, & sic Pyrrhonismum quendam in Medicinam invehat.

Quod diversi Authores phænomena quædam diversimo de explicent, nullum plane pondus Logicum inde enaseitur contra illud *Systema*, quod Authoritatem Pythagoricam sectis familiarissimam ad ultimam Thulen damnavit, quodque jubet: ut quis Mathematicorum accuratatione incedat, adeoque opinionum commenta, partium studium, & quodvis præjudicium fugiat: *data* negligentius comparandi, *demonstrationes* hiulcas protrudendi, & *conclusiones* præcipitanter formandi licentiam compefeat: industriam adhibeat indefessam, nec a labore in assensum quemvis per supinam securitatem labatur: sed fabricam corporis humani attente in solidis & fluidis perlustret, & usum partium ejus ex *data* earum *structura descriptoque* humorum in eas *influxu*, & suffragante experientia eruat: omnia deinde quæ in quovis statu, ætate, & circumstantiis in corpore vivo peraguntur, indefesso labore, fidelissima serie, vel minimis circumstantiis non omissis vel immutatis (uti ii qui opinionibus ser-
viunt



viunt in gratiam suæ sectæ facere solent) addiscat, & diligentia ac sinceritate Hippocratica observet: hæc *observata* idem illi sunt, quod sua sunt Geometris *data*: ex his *datis* tanquam notis ad ignota detegenda suspensio pede progrediatur; utque *quæsitæ ex datis* inveniantur & demonstrantur, ea tantum assumat ex Mathematicorum Physicam explicantium, Mechanicorum & Chymicorum, disciplinis, quæ quoad simplicem experimentorum accurate demonstratorum eventum ad machinam corporis nostri apprimè quadrant: ita vero rationes subducatur, ut ratiocinia in experientia incipiant & in ea, quantum pote, desinant, adeoque individuo experientiæ comitatu ab excursionibus in devia præviantur; tunc vero demum suum Problema solutum putet, dum non ad unam alteramve conditionem, quæ quæsitum illud determinaret, sed ad omnes attendendo, singulas sigillatim perlustrando, & universas cum invicem comparando, iusta cum mora *conclusionem* efformavit. Jam si quis explicando vel demonstrando ad hæc non attendit, an id vitium *universo* huic *Medicine rationalis systemati* imputandum est; an Principia ipsa clara & innocua ideo vapulare debent? Verum cum nemo non cordatus videt, non uno alterove, sed pluribus præsidis debere eum instructum esse, qui res Medicas rationali & demonstrativa methodo tradere gestit, hinc haud mirum esse si singula minus attendere aut minus demonstrare queat. Sic incomparabilis Borellus in laudatissimo suo opere de Motu Animalium, egregie de musculis eorumque actionibus omnia demonstrat, Malpighianis, suis, & aliorum observatis hæcenus locuples; quod vero causam, qua musculi agerent, minus plausibilem alleget, ratio est, quod gratis ex Chymicorum laboratoris assumat, quasi spiritus nervorum *acidi cum alcalinis* sanguinis partibus efferverent in musculo. Istud enim prius per experimenta anatomica demonstrandum fuisset, quæ verò contrarium docent, sanguinem scilicet esse humorem blandum, temperatum; spiritus v. animales non posse acida intemperie in statu s. n. laborare, origo eorum ex delibatissima sanguinis lymphæ, & tenerrima nervorum principia, aliaque in Physiologicis, persvadent.

Nec quicquam minutiarum captatio intempestiva *Systemati* jam commendato exprobratur; quemadmodum enim horologii cujusdam rationem explicaturus, non ad minimas rotarum particulas, sed ad organicam partium constructionem, cogitationem, uniusque ad alteram proportionem attendit: ita Medicus non incumbit necessitas singulas solidorum corporis ejusque partium *fibrillas*, ac fluidorum *atomos* numerandi; sed partium organicarum mechanismus exploratus, ac fluidorum conditio requisita in genere cognita, satis eum secundant in explicanda vita eiusque effectis in quovis statu consequentibus. Interim quid quæso noceret, si Medicus in suo objecto omnes minutias perspectas haberet, an non hac ratione multa phænomena pro difficilissimis vel impossibilibus habita explicari possent? Sane secundum Plinium, *natura in minimis est maxima*; absit itaque ut laudatissimam Anatomicorum hæc in re industriam insuper habeamus, videndum saltem est, ne quis se tumultuaria recenter inventarum opum collectione gravet, sed singula or-

dine digerere & suo pretio aestimare norit. Certe ea, quæ in nobis sunt minima Conditior in cassum non creavit, sed singula suum habent usum, qm̄ si nondum est cognitus, ætas tamen felicior cognoscere poterit. Imo cumplura Celeb. *Malpighii*, *Ruyfchii*, *Leeuwenbockii*, & aliorum, qui laudatissimis horum vestigiis insistendo *magnalia* Dei in *minimis* quoque detegere norunt, inventa subtilior a vifa, prudenti applicatione in usus Medicos cesserunt, vide ea, quæ Celeb. *BOERHAAVE* in suis Aphorismis, de simplicioribus partium simplicium & humorum vitis, habet. Item Diss. Celeb. *HEISTERI* de Anatomis subtilioris utilitate.

§. LXIX. Urgebit fortassis non nemo, qui aut precaria ætiologia, aut sola empiria delectatur, quod Medicus per longam experientiam & multam observationem, felix esse queat in sua praxi absque ratiociniorum mechanicorum notitia. Verum licet hoc non ex toto negandum aut mirum sit, quoniam plerumque iidem morbi in orbem quasi recurrunt, adeoque veterano empirico auscultant; Nihilominus quanto felicior ille sit, qui & uberem *observatorum effectuum* penum possidet, & simul eorum *causas* genuinas & sufficientes intelligit; quanto majorem ex opere suo voluptatem capiat; quanto maiori fiducia in exercitio artis suæ procedat; quanto majori quoque cum promptitudine & dexteritate, si quis morbus insolitus aut symptoma nondum visum occurrit, iudicium & consilium depromat, dum interim Empiricus ut ut doctus consilii inops hæret; quanto magis in gravioribus casibus conservationem vitæ possibilem vel impossibilem perspicere, adeoque prognosi rationali se præmunire valeat: non modo hodierni eruditionis rationalis Ælutmatores norunt, sed sensit quoque in furorem raptus vates, dum cecinit: *Felix qui potuit rerum cognoscere causas*. Senferunt vero quam maxime excellentes in Medica Arte *Statores*, qui *rationem* absque *experientia*, & hanc absque illa indigentem esse videntes, Medicinam *sensualem* seu experimentalem cum philosophica seu *ratiocinatrice* copulandam, & alteram alterius auxilio consummandam esse, sapientissimo consilio iudicarunt & commendarunt.

§. LXX -
LXXXVII.
Applicatio fit,
b. e. per Partes
Medicinae
multas ac necessitas
Sententia
asserre
§. XXXIX -
LXX. ac vindicata ostenditur; eaque amplius assertur ac vendicatur. In specie §. LXX.

§. LXX. Priusquam huic diatribæ coronidem adjiciam, utilitatem ac necessitatem sententiæ §. III. coll. §. XXXIX-XLII. jam assertæ paucis commonstrare, applicare & vindicare omnino juvat. Quia ergo motus corporis nostri spontanei a causis *naturalibus* corporeis seu physicis dependent; hinc Scientiæ rerum naturalium illis intelligendis & explicandis accommodatæ & sufficientis necessitas patet. Ut adeo universum negotium vitale rationaliter cognituro, & huic cognitioni superstruenda Medicina rationali gavifuro studium *Anatomicum*, *Mechanicum* & *Physicum* inprimis experimentale, maxime necessarium sit. Qui igitur Physiologiam humanam juxta hæc studia observatam & assertam familiarem sibi reddidit, is facile intelliget: *Vitam* hominis physicam a partium corporis functionibus animalibus, vitalibus, naturalibus, dicatarum actione jugi spontanea, & maxime perenni sanguinis circulo, & huic *mechanice* consequentibus

se- & excretionibus dependere; eamque durare, quamdiu ea est corporis quoad solida & fluida, minimum in corde, pulmonibus cerebelloque, conditio, ut commercium animam inter & corpus persistere queat. *Præservatio* igitur corporis a putredine non est ipsa vita, sed effectus saltem vitæ ab actionibus spontaneis, inprimis salvo humorum circulo, productus. Intelliget porro *Sanitatem* nihil aliud esse, quam naturaliter ordinatum & perfectum omnium functionum mox dictarum exercitium. *Læsam* vero unius aut plurium in corpore vivo exercendarum functionum conditionem, *Morbum* esse. Omnium deniq; corporis vivi functionem abolitionum & quietem totalem, *Mortem* significare.

LXXI. *Applicatio fit in Physiologicis,*

§. LXXI. Quoniam *vita, sanitas, morbus, & mors* in Philosophia corporis humani per causas suas physicas *efficientes* explicari possint debeantque; hinc universa per *causas intentionales & finales* in illa explicandi ratio cadit, quam grandiloquus *Helmontius* in Medicinam primus introduxit. Non hic quæritur, an Philo-

Ratio explicandi phenomena per causas intentionales & finales rejicitur.

phus operum Dei finem ad eius gloriam referre, & ex finibus seu usu partium in animalibus, eum cognoscere & ceu Creatorem colere debeat? quod nemo sapiens negabit; cum vel minima corporis nostri particula de Creatore deque eius sapientia testetur, conf. Excell. FRID. HOFFMANNI Oratio de Atheo convincendo. Sed quæritur, utrum in explicandis & demonstrandis corporis nostri motibus spontaneis loco causarum physicarum *efficientium*, allegari debeant *morales & finales* rationes ex intentione *principii* cuiusdam *animati* occasione certi obiecti suscepta fluentes? quod negatur. Res exemplo patebit; si enim quærat, cur in mammis Puerperæ lac secernatur? Ex analogica §. V. hypotheseos respondebitur, quod provida Matris anima sub gestationis tempore certam sanguinis quantitatem eo *sine* ad uterum direxit, quod *fatus* inde aleretur; sed post partum relicto hoc *sine* & itinere, certam iam succi nutritii copiam dirigit & congerit ad mammas, inque his secretionem lactis in gratiam infantis administrat, quod ut eo certius succedat motus auget, seu febrem lacteam excitat. Ego vero ita responderem, quod post partum, depleto iam pondere uteri, huius & partium ambientium ac vasorum fibræ antea maxime distentæ innata sibi contradicillitate se contrahere incipiunt, adeoque sanguini per vias hæcenus consuetas introitum intra uterum sensim sensimque præcludunt; unde *hypogastricæ* sanguine magis replebuntur, consequenter in *mammariis*, cum quibus, teste Anatomia, & experientia (dum v. g. repulso lacte mox largius lochia fluant, & vicissim) communicationem habent, sanguinem copiosius infundunt; unde vasa mammarum necessario implebuntur. Cum vero sanguinis motus hæc ratione immutatus novas vias inveniendò vasa distendit, & simul ob resistantiam vasorum circà uterum incrementem systole cordis necessario velocior fit, facile inde febricula enascitur. Sanguis vero lactis materiam vehens in mammas potius quam alias partes influet, utpote quæ minus iam resistunt, nam substatu

graviditatis dispositionem ad copiosorem humorem recipiendum & lac secernendum obtinuerant; hoc ergo ex earum Mechanismo, ratione plane mechanica discernitur. Quod negotium sapientiam Creatoris insigniter quidem arguit; minime vero providam animæ matris prudentiam & moralem executionem involvit, utpote qua sæpe invita colles lactiferi candidum fundunt vel denegant laticem; imo interdum ob solam intumescentiam imi ventris v. g. in hydropse uteri & ovariorum, lac in mammis nascitur, quod imperitis imprægnationem mentitur. Iam Lector Candidus iudicabit, an non Philosophia corporis nostri per *ætiologiam intentionalem & moralem* sufflaminetur & dubia reddatur; e contra vero per *ætiologiam physicam* seu demonstrationes *ex causis efficientibus* mechanicis depromptas promoveatur, perficiatur, ac ad suam certitudinem reducatur?

§. LXXII.
LXXIX.
 *Applicatio in
 Pathologicis.*

§. LXXII. Quandoquidem *sanitas* in facultate corporis apta ad omnes functiones perfecte exercendas consistit, hinc quicquid facultatem illam lædit & a suo statu naturali deiecit, *morbis* erit. Haud ergo bene concluditur in hypothesi §. V. morbum vel potius motuum in morbis *intensiones & remissiones* in se & *sua natura salutaris* esse, neque adeo pro morbo habendas, eo quod eas sæpe *sanitas & salutare* eventus *intentioni* animæ cum causa occasionali colluctantis respondentes sequantur; lege siquidem oppositionis sequitur contrariorum contraria esse consecutaria. A deoque si status ille corporis vivi in quo functiones ordinate & legitime succedunt sanus & naturalis sit; utique e contra conditio eius illa, quæ tollit læditque facultatem cuiusvis functionis exercendæ, morbosa & præternaturalis erit. Gratis vero supponitur id in se & sua natura bonum vel salutare esse, quod eventus boni consequuntur; sic scelera dum puniuntur exemplum statuitur quo sæpe sceleratorum grassatio compescitur, an vero igitur digne concluderetur illa esse in se bona & Reipub. salutaria, cum per accidens tantum ad publicam securitatem contribuant. Omnes ergo motus præternaturales & morbosi in se & *sua natura* œconomix vitali adversi & plus, minus, periculosi sunt; quod si tamen eos mors vel chronica passio non excipiat, possunt *per accidens* salutare nominari, dum illis superatis *sanitas* iterum redeat. Sic *Dysenteria* si non necat vel morbum secundarium post se non relinquit, corpus a noxiis quibusdam materiis liberat; quis tamen eam ideo sua natura salubrem pronunciaverit. *Febres* appetitum & vires prosternunt, digestionem graviter lædunt, imo universam œconomiam vitalem turbant, & haud raro legitime licet tractatæ in mortem aut alios morbos terminantur; ut adeo insensatus ille sit qui Febribus obnoxius, damna tamen illarum non animadvertat. Nihilominus motus febriles per accidens sæpe salutare evadunt, dum nempe sub illis humorum viscidorum resolutio, ad excretionem prædispositio, coctio, deperatio, consequuntur; imo contumaces interdum viscerum infractus, quibus referendis medicus vehementiores motus excitare non valuit, aut ob infausum omen noluit, tolluntur, quo sine etiam Hippoc. Lib. II. Epid. ait, prudentis *Medici esse*
ali-

aliquando Febres accendere. conf. Diff. Eccell. FRID. HOFFMANNI de Salubritate Februm. Inerim quicunque ob sequelas interdum bonas physice & necessario ex certa solidorum & fluidorum, atq; materiæ peccantis, in individuo, conditione, sub motibus febrilibus consequentes, hos *absolute & semper in se ac sua natura* salutare ebuccinaverit, haud secus argumentabitur, ac Philosophaster ille, qui ab Agellio ridetur quod quartanas febres bonas & utiles esse defendebat, eo quod homines sobrios & temperantes reddant, efficiantque ut cibo ac potu moderate utantur.

§. LXXIII. Prout igitur Medica *vita sanitatisque* Theoria: ita etiam earum contraria, *morbosa* puta *affectiones* & ipsa *mors* medice & proxime ex causis non *moralibus* seu *intentionalibus*, sed ex *physicis* explicandæ erunt. Licet vero animi affectus complures sæpe morbos ex necessitate in unione animæ cum corpore fundata, nobis etiam incisi aut invitis, caulari aut fovere queant; nihilominus etiam sequelæ affectuum pravæ, non secus ac illæ, quæ a causis mere materialibus producantur & sustentantur, non nisi physice ac mechanice in corpore nostro mechanice fructo peraguntur & decurrunt. In foro itaque Medico minime toleranda est eiusmodi *Pathologia*, quæ efficientes morborum causas ex obscuris, nondum probatis, nec unquam probandis, aut ab illo plane alienis speculationibus metaphysicis, quales sunt illæ: *Archei* furentis rixæ, aut *principii* cuiusdam *animati* contra causas materiales, quæ nihil nisi occasionales forent, insurgentis, variis motibus se quasi armantris, provida lucta militantis, intentiones, inventiones, æstimationes, directiones, &c. deducit. Verum nomen *vera Pathologia Medice* meretur, quæ morbos & eorum effectus, ex naturalibus in corpore vel extra illud natis, solis vel plerumque pluribus (neque enim qualibet causa simplex & sola statum s. n. turbare potest) ad eundem determinatum effectum morbosum producendum concurrentibus, evidentem, realem, sufficientem, a quovis attendente perspicue intelligendum influxum in præsentem morbum habentibus, & simul Therapiæ rationali facem prælucentibus, *Causis*, explicat atque demonstrat. Ignoratus enim morborum causas obtrudere, aut omnibus unam assignare, non modo desiderem industriam, ne dicam ignorantiam arguit; sed & summe periculosum est Therapiæ, utpote cuius fundamentum est vera Pathologia.

§. LXXIV. Res exemplo evadet clarior, sumamus v. g. Fluxum hæmorrhoidalem ætati virili sæpe familiarem, qui iusto maiorem tamen amplitudinem ac venerationem in hypothesi §. V. commeruit, in cuius verò ætiologia succincta hæc saltem attendo: In ætate virili & consistente, quia iam vasa capitis & pulmonum incrementi sui apicem consecuta sunt, & impetui sanguinis plus resistere valent, hæmorrhagiæ narium non tam facile ac in puerili, eo minus autem hæmoptoe sequitur: Incremento partium iam cessante, sanguinis copia, in primis vitæ genere & temperamento velificantibus, facile accumulatur, nullibi vero plus, quam in capacibus & numerosis Venæ Portæ ramificationibus, in abdomine

§. LXXIV.
LXXVII.
*Hæmorrhoides
breviter, ac
rationaliter, ex-
plicantur.*

mine aggeri poterit: Venus nimis culta, ut & succussoria corporis exercitatio per uestionem in equo aut curru inprimis sub sole fervido, item alimenta vel medicamenta intestinum rectum stimulantia, maiorem sanguinis ad hæmorrhoides affluxum necessario invitant: Accedit plerumque ætati huic non modo lauta diæta plethoram ingenerans, sed etiam calida, spirituosa, affectibus indulgens, sanguinem in orgasmum nimium conjiciens: Accedit quoque sæpius vita sedentaria, difficilem sanguinis per systema Venæ Portæ circulum reddens: Concurrit etiam sæpe malum Hypochondriacum motus peristaltici intestinorum segnitie, viscerum abdominis infarctû, acidis primarum viarum impuritatibus & flatibus, ac frequenter intercurrentibus spasmodicis in abdomine stricturis, alvoque dura, stipatum: Sæpe, licet rarius attendatur, intestinorum ariditas seu siccitas peccat, tum ob robur viscerum ætati consentienti competens, tum ob transpirationem uberiorem, & maxime ob clima calidum, quo in casu omne fere humidum, demonstrante Sanctorio, ex intestinis in vasa lactea impellitur, atque in secretoria subcutanea fertur, quæ quo plus emulgentur per diaphoresin largam, eo maior liquidi in eadem influxus fit; unde necessario intestina sufficienti suo humido orbantur, atque feces indurantur, quæ in crassis & inprimis in angulo a colo & recto formato sæpe hærentes, vasa ibi sita valde premunt, unde sanguis ascendere non potens ea nimis distendit, ut ubi minor est resistentia, sc. in ano aperiantur: Deinde attendi meretur quod nusquam in toto corpore segnior sit sanguinis circulus ac in abdomine, & maxime in vasis intra pelvim sitis, ob situm suum laxiorem & absentiam musculorum contiguorum, in specie vero in vena hæmorrhoidali ob situm eius perpendicularem; unde nullibi facilis quam in hac regione sanguis accumulatur, restagnat, imo etiam retrorsum, quoniam in ramis Venæ Portæ valvulæ defunt, pelli potest, inprimis si harum partium ob dispositionem hæreditariam vel *acquisitam* atonia p. n. facile infarctum admittens conspiret. Dum igitur sanguis in vasis hæmorrhoidalibus, sufficiente elatere destitutis, consequenter impetui & oppletioni resistere impotentibus, ob hepatitis, lienis, & Venæ Portæ infarctum, & turbas hinc inde spasticas, nec non ob proprium sepe lentorem & spissitudinem, aut etiam scybalorum pressionem, progredi nequit; & dum lege jugis circuli novus semper a tergo sanguis, & quidem non raro cum impetu orgasmico per calida, spirituosa, affectus, &c. concitatus affluit, necessario accumulabitur, & *vascula lateralia*, quæ alias non nisi lympham admittunt, distendet; unde haud mirum est eum minori etiam accedente stimulo v. g. nisu excretionis alvinæ, aut transitu fecum induraturum, apertis oculis vasculorum distentorum, extra vasa & anum excerni, donec illa, onere aggesti sanguinis depleto, suo se elatere contraheant & claudant. Quoad nova aggestio in vasa jam semel dilatata, facilius deponenda eandem aperiat scenam. Quo plures ergo & quo vehementiores ex dictis causis concurrunt, eo facilius hic fluxus nasci potest.

§. LXXV. Ex præmissis iam clare intelliguntur in fluxu hæmorrhoidum tres causarum classes, sc. plethoram & orgasmum generantes, sanguinem superfluum ad

ad loca hæmorrhoidalìa utpote minus resistentiã determinantēs, & vasorum hæmorrhoidalium ad recipiendum & excernendum aptitudines: consequenter *anæsthesis, diagnosis & prognosis*: indicationes therapeutica: atque etiã difficultas eum tollendi. Equidem si ope medica vasis hæmorrhoidalibus, & toti Venæ Portæ, tonus debitus restitui, eorum & viscerum infarctus perfecte tolli, vegetus, æquabilis tamen ac proportionatus, sanguinis per illa circulus restitui, & sanguis superfluus affluens citra incommodum alio derivari posset, & causæ tam *proximæ* quam *remotiores* recensitæ diligenter evitarentur; facile sane hic fluxus sua sponte emaneret, vel etiã citra præjudiciũ susti possit. Verum hoc opus hic labor est turbatum semel per systema Venæ Portæ & viscera abdominalis sanguinis, inprimis crassi, liquido suo orbat, atrabilarii Veteribus dicti, ad hypochondria necessitate mechanica determinati & contumaces infarctus causantis, circulum suo restituere vigori; & dispositionem quacunq; de causa solidis inductam percurare, præsertim cum raro hæmorrhoidarii consilia medica observare soleant. Ideo necessitas omnino incumbit fluxum hunc alias molestum & præternaturalem, in iis maxime subiectis ubi temperamentum, vitæ genus, dispositioque svadent, conservare, moderari, imo deficientem promoveri; minime vero præpostera adstrictione suspendere; *ratiocinium* enim anatomico-mechanicum facile prævidet, & *experientia* confirmat, mox maiorem inde infarctum & ominosam sanguinis ad alia loca regurgitationem subsequi, & amplam plurimorum pathematum portam apertum iri.

§. LXXVI. Hac ergo vel simili ratione negotium hæmorrhoidale per *causas* suas revera *efficientes* & influxum in illud habentes, & tam ad *indicationum* quam *indicatorum* inventionem ducentes, explicatum, longe clarius intelligitur & verius demonstratur; quam si dicatur: *Anima* sapienti suo sensu vitali in corpore excubans per omnes ætates *plethoræ* imminutionem motibus variis *completis* vel *incompletis, congestivis, eluctatoris* &c. intendit, eamque in ætate puerili sapienti *inventione* per nares; in juvenili, mutato consilio, per pulmones tentavit, imo sæpe peregit; jam vero in virili aliis provide susceptis *astimationibus* sanguinem superfluum sapiente inventione ad hæmorrhoides ex reliquo corpore, spasmos passim præsertim vero in abdomine ea fini suscitando, *congerere* & per anum deplere allaborat, &c. Annon hæc a veritate abundant ipse hæmorrhoidarius anima quantumvis sapientissima præditus excusso diligenter suæ conscientia: sua judicet? Sane eiusmodi multorum annorum, seu chronicæ, *intentiones, astimationes* ac *inventiones*, operose conquisitæ, & adeo prætenfa certit udine & serie, quasi inter Medicum ordinantem & providum illum sensum vitalem collecta quia intercessissent familiarissima, ordinatæ, & animæ insciæ & invitæ attributæ; non nisi speculationes hypotheicæ liberaliter accumulatæ sunt. Et affectus certis ætatibus peculiare, nulli non Medico diligenter attendendi, ex longe alio fonte deduci debent.

§. LX.

§. LXXVII. Quod ad *Mortem* attinet, si eius in morbis generationem ex *causarum physicarum* & proximarum morbos lethales ingenerantium vehementia, aut deleteria virulentia, partium vitalium immediata vel successiva invasione, læsione ac destructione,

H

& ple-

& plenaria principum functionum ad vitam absolute necessariarum abolitione &c. explicuero; ac demonsttravero quomodo & quod ex iis causis vita corporis necessario cessare, corporeque non jam amplius organi vice fungi valente separationem animæ sequi debuisset. Non modo hac ratione mortem veritati conformius sed & cuius facilius intelligendam describero, quam si dixerò: Animam occasione cause materialis inimicæ infurxisset quidem *motibus provis* ad eam debellandam, aut deterritam fuisse a difficultatibus obviis, aut hæstrasse, aut causam occasionalem iusto valentiorẽ testimasse, adeoque de felici victoria desperasse, vel excessive & cum damno militasse, aut vitam ulterius administrandi tædio captam fuisse, aut vires successu temporis per longam senectam amisisset, ab administratione motuum vitalium se abstraxisset, & quasi aufugisset, &c. adeoque corpus immortum & mortuum remansisset; hoc enim si assererem obscurus forem, fallerem & fallerer. Sane in sapienti senectute & eam necessario insequentis mortis descriptione *Ecclesiastes* Cap. XII. ita progreditur, ut post fractas corporis partium & denique cordis vires & functiones, sic demum animæ separationem concludat.

§. LXXVIII. Jam etiam liquet quod in *Symptomatologia* distinctio symptomatum in *activa* & *passiva* minime locum habeat eo sensu, quo illa in gratiam sensus vitalis defenditur; quasi illa anima sapienter produceret, hæc vero a noxa materiali penderent. Interim lubens agnosco in morbis *symptomata necessaria* seu motus solidorum & fluidorum augmenta a causæ morbificæ, vel medicamentorum quantitate vel qualitate physice producta, quæ causam subigere & dissipare veleliminare possunt; item *non necessaria*, quæ sc. morbo præsentis ac individuo plane sunt incongrua, & ne quidem *per accidens* possunt evadere salutaria, imo in excessu vel defectu solidorum ac fluidorum motuum, vires, texturam ac crasin destruant. Licet vero utraque sint morbosa ac præternaturalia, interim illa seu indicationi vitali & therapeuticæ, ac intentioni Artificis Mechanici causam per motus superare omnino volentis respondentia, toleranda ac moderanda; hæc vero profliganda esse statuo. e. g. si improvida transpirationis suppressio, spasmus in peripheria corporis, & stagnatio humorum in extremis vasculis, Febris produxit, motuum & pulsuum febrilium hæc haud suppressionem, sed moderamen commendat; si vero ex sola tendinis punctura impetuosi motuum insulsus prævidentur, hos seu non necessarios, imo noxios, securius anticipandos vel sopiendos svadeo.

§. LXXIX. Quæ admodum physica corporis vita ex eius mechanismo & causis physicis dependet: ita corpori vivo *ingesta* & *applicata* negotium eius vitale juvantia, alterantia aut destruentia, aer nempe, cibus, potus, medicamenta, venena, non nisi physice in illud agunt, & eorum operandi ratio ex principiis anatomicis, mechanicis, physicis & chymicis explicanda & demonstranda est. Unde rursus rationalis anatomicorum, mechanicorum, physicorum & chymicorum experimentorum studii necessitas patet. *Ingestorum* vero & applicatorum physica operandi ratio ex animæ motus spontaneos producendi impotentia in præcedentibus demonstrata pronissime quidem sequitur, observationibus tamen quibusdam illam illustrare juvat.

Quod

Quod enim *Aërem* attinet, velimus nolimus aër frigidus habitum corporis constringit, fibras roborat earumque actionem in fluida auget; calidus vero rarefacit & expandit fluida ac solida. Subitanæ aëris mutationes manifesto corporis imo & animi functiones afficiunt, præsertim in debilibus, ex morbo convalescentibus, item ita dictum Calendarium vivum ex gravi olim læsione in quodam membro perpeffa habentibus, licet his in cubiculum conclusis nihil constaret de tempestatis mutatione; quam tamen Medicus Physicæ gnarus cum effectibus in illis subsecutus, ex phænomenis Barometri &c. intelligit. Sola sæpe aëris insalubris cum salubri commutatio graves tollit aut præcavet morbos. Vicissitudines aëris circa æquinoctia manifestas corpori nostro inferunt mutationes. Certi morbi in diverso aëre & regione facilius, vel difficilius curantur. Ex sola æquilibrii inter aërem internum & externum sublacione corpus vivum inevitabiliter affici docent experimenta in Antlia adornata. Ex quibus luce meridiana clarius patet corpus nostrum ab aëre neutiquam iuxta lubitum & æstimationem animæ, sed pro necessaria physica eius operandi virtute affici.

Quod *Alimenta* attinet, corpus sanum & purum, visceribus chylopoëis & hæmatopoëis integris, cæteris paribus, ab alimentis & potulentis laudabilibus citra omnem animæ attentionem nutrirî potest, imò reluctante licet illa in prægrandem sæpe aqualiculum aut proceritatem excrescit; dum interim pygmæi frustra incrementum expectant. At morbosum & impurum, licet anima partes macie confectas nutrirî & restitui anxie desideret; nihilominus non modo ab iisdem non nutritur sed etiam læditur. Unde Hippocrit ait, *impura corpora quo plus nutritis eo magis læseris.*

Quoad *Medicamenta* vero, sequentia attendi mereantur. Omnes corporis nostri partes sunt vasculosæ & canaliculosæ, omnes vero canales fluida in se continent, & mediate vel immediate cum invicem & cum cordis ventriculis communicationem habent; ergo medicamina sanguini admixta actione cordis in canalibus ad quasvis partes deferri possunt. Ex cerebro & spinali medulla ad omnes corporis partes abeunt nervi, nervi vero cum invicem mediate vel immediate communicant & summam cum invicem ratione suæ originis & integumentorum, quæ a cerebri integumentis accipiunt, nexum & consensum fovent; ergo vitiosa fibrarum oscillatio per totum systema nervorum propagari: & vicissim virium summa in unam partem derivari potest; hinc etiam nervo alibi dimidiatum læso mox viciniores, tum remotiores, inde meninges, denique cerebri actio & totum genus nervosum affici possunt. Ergo præter partium *Mechanicum* & sanguinis *circulum*, *consensus* partium iam Hippocriti notatus, per rationem vero mechanicum subsidiis anatomicis instructum compluribus in phænomenis facile demonstrandus, imò in S. S. eximie adumbratus 1. Cor. C. XII. v. 26. maximam in Medicina rationali meretur considerationem; inde enim fit quod nervis certo in loco per *applicata* bene vel male affectis, mox per consensum vicinæ, imò pro ratione affectionis & partis affectæ universum sæpe eorum systema similiter afficiatur. vid. Excell.

Fontes, ex quibus physica & mechanica medicamentum operandi ratio elici potest ac debet.

FRID. HOFFMANNI Medic. System. Tom. III. Sect. I. Cap. V. Item Cl. Rega, de Consensu

sensu partium corporis humani. Maxime vero Ventriculi & primarum viarum cum reliquis partibus *consensus* attendi meretur; ventriculo enim successive vel repente laxato, debilitato, narcosi affecto, alie quoque partes imprimis caput similiter afficiuntur: & vicissim roborato vel stimulado illo, successive aut repente multae aliae partes paria experiuntur; hinc analepticum stimulans parturienti agonizanti propinatum priusquam lege circuli ad uterum feratur, evadit ecbolicum. Medicamina alia agunt in solida primario, alia in fluida; interim vix ac ne vix quidem datur medicamen in solida agens, quin simul agat in fluida, & vicissim; sive enim eius sit illud indolis & ita dirigatur a circulo sanguinis vel externa applicatione ad certam partem, ut in huius solida vel fluida principaliter agat, notabilem in aliis effectum non exferendo; sive tale sit, quod aequa vi agat in omnes partes aut solidas aut fluidas, consequenter etiam in partem certam, ubi malum singulare haeret: patet tamen attendenti, quod dum in solidas agit partes, necessario quoque agat in fluidas, & vicissim. Corpora qualibet, adeoque etiam medicamina ultra omnem imaginationis nostrae vim sunt divisibilia in particulas stupendae exiguitatis, his tamen virtutes totius retinentibus, unde haud mirum est medicamina parva saepe dosi data magnos praestare effectus, e.g. Vitrum Antim. plurimis vicibus vinum virtute emetica imbuere potest, vix tamen pondere minuitur; Emplastra purgantia finita operatione pondus suum atque retinent; Odorifera amplam saepe atmosphaeram citra notabilem ponderis iacturam effluviis suis sic satis diu imbuunt; Tincturae & extractiones variae Chymicorum idem testantur. Fauces, pulmones, cor, musculi intercostales, Ventriculus, diaphragma, mesenterium, teste Willisio nervos ab eadem origine habent; faucibus ergo sola pluma irritatis facile vomitus fit & partes dictae convelluntur; sola eadem plumula irritatis naribus, mox *fermentationes* cum tor musculorum concussionem, salivae, lacrymarum, effusione, *invita anima* suboriuntur; quod si igitur a levi quodam motu *externo* pure mechanico tanta corpori nostro inferri queat mutatio, quanta quaeso & quam varia non inferetur? si ab *intra* ad nervos appellant & applicentur particulae medicaminum activae, prout nempe illi plus minus, sunt nudi vel tremuli, ab origine sua distant, cum aliis communicant, & prout ad diversas glandulas, emunctoria, &c. tendunt. Sola saepe externa & mere mechanica corporis tractatio motus eius vitales, si nondum plenaria solidorum & fluidorum quies adfuerit, restituit, uti id experientia non semel docuit in casibus tragicis v. g. recenter strangulatis, aquae submersis, &c. item lipothymicis, syncopiticis, infantibus recenter natis vix aliqua vitae indicia exhibentibus. In morbis malignis summa cum virium prostratione stipatis sola saepe horizontalis corporis collocatio, & sollicita *erecti* eius *situs* evitatio instantem praecavet mortem, quam observationem practicam Celeb. FRID. HOFFMANNVS passim serio inculcavit; cum e contra ubi in acutus pulsus est fortis & sanguis impetuoso flumine ad caput pellitur, erectior huius *situs* affluxum eius per arterias remorando & refluxum per venas facilitando saluti velificatur. Vectio in equo aut curru affectus quosdam chronicos per motum succussionis pure mechanicum per sanat. Plura medicamina sunt quae diversimode agunt pro diversa eorum solummodo per regimen externum aut ab *intra extorsum*, aut ab *extra*

intors-

introrsum facta determinatione physica. Plura sunt medicamina, quorum effectus tam in corpore nostro, quam extra illud idem est, manifesto indicio ea non nisi physice operari: sic olea blanda & aque repidae carnes siccas emolliunt, & idem quoque efficiunt corpori nostro applicata: acida lac coagulant, etiam chylo & lymphæ in nobis coagulum inducunt: pingua, mucilaginosæ, variæ figuræ pulveres involvunt, ita etiam venena caustica acria in ventriculum delata involvendo, hujus latera ab eorum spiculis defendunt: alcalia tam in corpore nostro, quam extra illud viscidum obviæ resolvunt, &c. Denique, ne plura dicam, *Fluida* corporis nostri seu augeamus seu minuamus, derivemus revellamus, diluamus, dissolvamus, alteremus, promoveamus; *Solida* vero seu adstringamus, seu aperiamus, relaxemus, eorumque motum sive stimulemus, augeamus, sive minuamus, sopiamus, determinemus, &c. hæc sane omnia per causas solummodo *physicas mechanice* peraguntur.

§. LXXX. Ex præmissis igitur & similibus aliis jam tacendis fontibus *physica* corpori vivo Ingestorum & Applicatorum operandi *ratio* facile a quovis rerum anatomicarum & mechanicarum gnaro concludenda non modo clare patere potest; sed etiam cuivis attendenti ex talibus fontibus explicata & enarrata clarum & sufficientem conceptum ingenerant. Dum vero e contra in Hypothesi §. V. physica operandi ratio *Ingestis* & in specie *medicamentis* abjudicatur, & in gratiam animati principii sollicitè distinguitur, inter effectum eorum qualemcunque *physicum*, & *medicum* hoc est *moralem* eorum applicationem & directionem sapientem; statuiturque, quod licet interdum medicaminum actioni aliquid *mechanici* subit, illud tamen tanti non esset momenti, quin tunc quoque animæ *synergia* & *directorium* primas teneret; plerumque autem præcipue & primario medicamina saltem *occasionales* effectuum causæ forent. Ita ut eorum occasione sensus vitalis afficiatur, unde anima mox aut refocillatur adeoque motus vegere administrat; aut sopitur, unde deterrita vel in averfationem quasi conjecta v. g. occasione opii exhibiti; motus intermittit; aut ad certos motus præstandos invitata insurgit & pro sua *morali* ac provida causæ, morbi, & medicaminum, *astimatione* varios suscipit motus, & pro salute corporis *interne* militat; interdum quoque remedia longe ad alium effectum quam cui ex indole sua respondere debebant pro suo *sine* dirigit; interdum vero alii operi incumbens illa plane non attendit & sine notabili effectu dimittit, &c. Hæc sane summe obscura, nec verosimilia sunt, nec unquam generi humano contra ejus conscientiam persuadebuntur; multo minus Medicis & Philosophis rationalibus talia, quæ *fidem* & quidem *caecam* in rebus naturalibus exigunt, demonstrabuntur; nec facile is, qui breves & justos facultatis animæ suæ limites agnovit, admitter, quasi Conditor vires & effectus medicaminum mortalibus agris concessorum ab æstimatione & arbitrio ejus finito suspendisset. Videtur quoque hac ratione generi humano unicum medicamentum sufficisse, & industriam præstantissimorum Medicorum efficacibus remediis inveniendis occupatam inanem fuisse & fore; anima enim occasione unius remedii pro lubitu quosvis motus suscipere vel negligere, vel mitiora pro efficacibus: & contra, æstimare poterat.

§. LXXXI. Necquicquam vero physica & mechanica medicami- *Rationes, qui-*

*bus physica me-
dicaminum
operandi ratio negatur,
diluuntur.*

num operandi ratio in dubium vocatur, moralis autem & occasionalis adfruitur exinde, quod ea in cadaver non agant; Medicus enim rationalis motus solidorum & fluidorum vitales penitus jam' sublucos producere nunquam sustinet, sed saltem asserit, illos atque praesentes a medicaminibus applicatis tanquam instrumentis mechanicis, physice & revera efficienter affici, alterari, augeri, minui, &c. posse, absque interna principii cujusdam animati causalitate, seu provida aestimatione & applicatione. Corpus ergo non mortuum sed vivum pro suo suorumque medicaminum objecto assumit; cujus vero vitam non in obscuro quodam ac precario, sed evidenti, principio collocat, motu nempe solidorum systolico & diastolico, atque fluidorum progressivo & circulari, quo praesente satis intelligit mutationes & effectus, quos medicamina in solidis vel fluidis productura sunt.

Putatur porro quod si medicamina ratione suae figurae mechanice agerent, tum in *cacoehymia* fluidorum tanta in proportione deberent ea propinari, ut singulae medicaminum *particulae* singulis *cacoehymiae* particulis responderent. Verum Medicinae, prout ea hodie per ratiocinium mechanicum colitur, indigne imputatur, quasi illa in Therapia saltem circa materiam versaretur, & in specie particulas varie figuratas, quae corporealis potius Philosophiae objecta sunt, & earum numerum attenderet; cum maxime & inprimis motus solidorum & fluidorum *vitales & vires conservantes* atque *secretorios, excretorios, depuratorios*, ad quos praecipuus curandi scopus respicere debet, attendit, promovet ac moderatur etiam tunc, dum vel maxime correctio indicatur *cacoehymiae*, cujus generale quidem conceptum habere, non vero *atomorum* ejus & figurarum calculum ducere jubet; salvis enim *motibus* illis, salvis quoque erit successus medicaminum in doli *cacoehymiae* oppositorum, quae quia sub motibus solidorum & fluidorum quiescere nequit, citius corrigetur, seceruetur & excernetur, quam ut singulis eius atomis iam ab indole humorum sanorum plane alienis nec cum his in gratiam redire volentibus, singulae medicaminis propinati particulae opponi potuissent aut debuissent. Porro quia medicamina in solida agentia agunt quoque in fluida, non semper requiritur ut alterantia magna dosi propinentur, cum parvis saepe dosibus activioris remedii, fibrarum & vasorum motum ac vigorem eoque promovere possimus ut fluidorum in illis latorum sufficiens alteratio, resolutio ac secretio sequatur, nisi nimia spissitudo obstet, ubi copiosa diluentia simul combinanda forent. Deinde quoniam *ventriculus* sanus nutritionis & sanitatis promuscondus est, eo vero laeso officina complurium morborum evadit, hinc eo repurgato & roborato optatus saepe sequetur effectus, etsi non adeo sollicita alterantia ad humorum massam dirigantur; succisa enim mali radice & sublata *minera* ac fomite ex primis viis, non amplius ad humores advehantur impuritates, quae vero in eos iam translatae sunt, nisi nimiae sint, facile & sponte per excretoria sua secedent.

Imaginatio & credulitas patientis multum quidem saepe contribuit ad tranquillum vel inquietum animi statum, quem ex lege unionis similis quoque saepe corporis status excipit, & inde remediorum applicatorum virtus saepe augetur, minuitur, alteratur; quid tamen inde legitime concludi debeat §. LVIII, LIX, LX, dictum est. Quod

Quod ad curationes ita dictas sympatheticas, archæales, mumiales &c. attinet, quicquid in illis absque incantamentis contingit, id vicissim haud raro ægotantium credulitati ac imaginationi debetur. Inde vero contra physicam remedium operandi rationem rursus nihil concludi potest; aut vero physicæ sæpe subsunt rationes, & si non semper cuivis obviæ, sed quæ ideo sequela foret? alicuius remedii operandi rationem non perspicio, ergo non illud sed anima occasione illius operatur. Ita cum mortalibus comparatum est ut omnium phænomenon rationem ob circumscriptos intellectus & sensuum limites ac experimentorum defectus perspicere nequeant. Unde Medicus rationalis omnium remedium *principia prima* & operandi *modum* explicandi scientiam haud arroganter sibi præsumit, aut subtilissimos intrinsecos principiorum activorum, in remedii, quæ omnem sensum & physica chymicaque tentamina eludunt, mechanisimos temere determinabit; licet in iis modeste & probabiliter determinandis analogia eorum, quæ & ipsa & eorum operandi ratio clarissime cognoscuntur, severo iudicii ratio cinio fundamentum subministrant.

Denique mechanico medicaminum operandi modo nihil præiudicat, quod illa non semper unum eundemque edant effectum; hoc enim non *Medico* rationali sed *empirico* mirum videbitur, qui non attendit *naturam a natura, corpus a corpore differre*, ut Hippoc. monuit; siquidem non singulorum corporum ægotantium omni tempore & loco eadem est conditio, sed hæc quoad ætatem, sexum, clima, anni tempestatem, vitæ genus, morbos prægressos, variam primarum viarum constitutionem, statum nervorum, robur, teneritudinem, hæreditariam vel acquisitam dispositionem & labem, affectus familiaris, assuetudinem, idiosyncrasiam, temperamenta, educationem, &c. non modo in diversis corporibus, sed etiam diverso tempore in iisdem, diversa esse potest & solet, quæ remedium vires adeo diversimode determinare sæpe potest. Alias si omnium hominum corpora exacte in omnibus circumstantiis convenirent, nullum est dubium quin medicaminum idem semper effectus foret. Prout ergo physica ignis virtus negari aut deultoria cuiusdam inconstantiæ argui exinde nequit, quod corpora quaedam emolliat, quaedam vero induret; in illo enim idem semper est modus agendi, sed diversitatis horum phænomenon ratio in corporum horum diversa habitudine latet: ita medicamina eandem naturam & agendi normam, quam iis natura præscripsit, constanter observant; causa ergo diversitatis effectuum sensibilium in diversa corporis habitudine quaerenda est. e. g. Diaphoreticum sanguinem resolvens & ad peripheriam promovens si corpori in aère frigido constituto exhibeatur, & non diaphoresis sed diuresis inde sequatur, non illud, sed Artifex minus attentus & corporis status externus accusabitur, illud enim humores resolvendi & commovendi virtutem exeruit; sed frigus humores a peripheria introrsum determinando effecit, ut materia sudoris per diuresin secederet. Ex diversitate ergo effectuum, qui eorundem medicaminum applicationem sæpe sequuntur nihil aliud, quam aurea hæc regula inferri debet: Quod Medicus non tantum virtutem & principia instrumetorum suorum, sed maxime etiam individui, cui ea applicat, statum & habitudinem sollici e quantum pote cognoscat; & persuasum sibi habeat quod medica-

dicamini enim effectus sensibiles *relationibus* & circumstantiis corporum quibus exhibentur, nitantur: seu, quod eorum vires non unice a sphaera *activitatis* suae; sed maxime a modo *receptivitatis*, ut scholae loquuntur, dependant. Idque ob conditionem corporum *variarum* antea dictam. Sic Absorbentium usus praesente acido in primis vis prodest, absente autem eo, nullus aut noxius esse potest. Purgantia nimis acria, quorum virtus in subtilissimis & volatilissimis particulis residet, in corporibus frigidis & humidis cathartica sine notabili damno afferre possunt opem; sed si ficcis, calidis, atrabilaris, & larga diaphoresi gaudentibus dentur, vix sperata purgatio succedet; sed robore viscerum per lactea vasa in reliquum corpus translata ejusmodi particulae sudorem, anxietates, imo aliquando acrimonia sua caustica exanthemata creare valent. Uti hoc non latet peritos, qui in Italia vel Hispania Medicinam faciunt, & longe feliciter catharsin per laxantia, quam purgantia procurant

§. LXXXII. -
LXXXIV.
Notio *Naturae*
Humanae di-
stincte explicatur.

§. LXXXII. In reddendis effectuum in corpore nostro obviorem rationibus provocare ad *Naturam*, eam ubique crepare, illi bonitatem, sapientiam, inventiones, deliberationes, &c. adscribere, nihil nisi ignorantiae & obscuritatis tegendae *asylum* est, si id per eam intelligatur, quod nec clare concipi, explicari, neque demonstrari potest. Non quidem Veterum quorumvis de *Anima* & *Natura* hominis conceptus laudaverim; ex plerorumque tamen monumentis satis patet, quod per utriusque *essentiam* ac *effectus* diversum quid indigitare voluerint. Praeterquam enim quod per naturam corporis nostri ejus *essentiam* vel *qualitates* *essentiales* sapissime exprimebant; per animam intellectus & *liberarum* actionum principium ac fontem; per naturam vero virtutem quandam corpoream *necessaria* ratione agentem intellexerunt. *Cat. Aurelianus* l. I. de *Passionib. acut.* meminit Asclepiadis, quod is animam caetum sensuum salutaverit, & dixerit in corpore nostro omnia fieri necessitate, & naturam nihil aliud esse quam corpus vel ejus motum, & naturam non solum irodere sed etiam nocere. *Hippoc.* naturam intelligentiae experientem nominavit. Nec Veteres animam morborum medicatricem dixerunt, uti saepe idem de natura praedixerunt. Neque potest praesumi eos adeo rudes & obscuritatis studiosos fuisse, ut, si *anima rationalis* & *natura* idem illis fuisset, non potius animae, quam naturae terminum usurpassent; cum ille clarior, hic vero multiplicis significatus, liris & obscuritatis feracissimus esset. Imo juxta *Aristotelem* animus humanus non est natura *Lib. I. de Part. Anim. Cap. I.* Neque respectu corporis salvari potest obscura ejusdem *Natura* definitio; nisi ea ita explicetur, quod sit principium *instum* motus & quietis a *necessaria* causarum serie *pendens*. Saepe quidem Veteres effectus sapientes v. g. quod *viam* in morbis *inveniat*, &c. naturae adscripserunt; verum eopse aut ejus qui naturam creavit sapientiam admirabantur, aut stylo rhetorico indulgebant, aut plerumque physicam motuum spontaneorum rationem innuere volebant, quam obscure suspicabantur & animadvertabant; sed pro ratione sui aevi nondum clare explicare poterant. Quanto vero magis Veterum obscuritatis condonandum, tanto minus ferendus est error recentiorum, animam rationalem cum natura corporis vivi confundentium, *Helmontius* & consimiles Archeum vel principium animatum motibus spontaneis precario, temere ac tumide praeficientibus, merito passim vapularunt; illos tamen validissimum ab intima animae *conscientia reflexa* depromptum argumentum §. XLII. non adeo premit, ac Hypothesin. §. V. illi enim sufficientibus experientum anatomicorum, mechanicorum ac physicorum subsidij atque destituti; maluerunt motuum spontaneorum rationem *distincto* euidam principio animato, quam suae *animae rationali*, contra propriam conscientiam, temere attribuere. Si ergo in Homine per

per naturam, principium actionis & passionis intelligere placet, cum distinctione omnia hic ad evitandam confusionem procedendum est §. VII. Schol. Per naturam igitur anima intelligi ejus facultatem intelligendi & libere volendi perennem actuosam; per naturam hominis seu totius compositi, physicam animæ cum corpore unionem; per naturam vero corpori vivi, ejus mechanismum vivum, seu vitam corpoream cum physicis ejus causis, viribus, & effectibus. Eximia & laudatissima est naturæ acceptio apud Celeb. Medicos Sydenhamicum sc. & Baglivium, ille quidem Opusc. p. m. 153. ait: *Ego quotiescunque naturam nominò toties causarum naturalium complexum quendam significari volo - perinde ac automata non pro suo sed Artificis consilio moventur.* Similiter hic Prax. Med. l. 2. C. I. ait, *Ego naturæ nomine non intelligo sapiens quoddam phantasma quacunque vagans & consilio singula dirigens, sed complexum quendam generalem causarum naturalium, quæ licet consilio destituantur effectus tamen suos pariunt juxta leges a summo Conditore impositas, atque ita ordinate ut quasi summo consilio regi videantur.*

§ LXXXIII. Data sic rationali vocis naturæ notione & explicatione, licebit ei effectus attribueri, eaque tanquam recepto ab omnibus termino uti compendii gratia, dum v. g. nec animus nec tempus esse causarum ad determinatum aliquem sanitatis vel morbi effectum concurrentium seriem, complexum, vires ac proprietates specialissime edifferere. Ut adeo nemo ex Hypothesi §. V. habeat rationem nobis exprobandi vel sibi adulandi, quasi per naturam, si interdum eam nominamus, animatum suum principium intelligere cogemur, nihil enim minus ac illud intendimus. Licet vero terminos diversis diversorum conceptibus expósitos prudentius ac rarius usurpandos esse putem; interim si in statu sano de alienigeno corpore bonam naturam prædicarem, nihil aliud per eam intelligerem, quam quod in illo ea sit solidorum & fluidorum conditio, mutuaque proportio; ut functiones omnes & se - excretionisque libere, vegete ac expedite succedere possint, nec neesse sit eas facile turbari vel destrui. Et vicissim si in statu p. n. morbum a natura superatum esse dicerem, posse indigere, eum statum vigorem & vires adfuisse, præsertim principibus organis & functionibus spontaneis, sc. cordi ac circulo sanguinis, cerebro ac influxui spirituum in partes nervosas, atque pulmonibus & respirationi, ut hæc licet a causa morbifica affici & turbari, haud tamen penitus destrui, potuerint. Quin in eo hæc eadem functiones, seu vitæ corporeæ vires perdurantes & superstites, sensim sensimque causam superaverint, motu suo subegerint, e loco dimoverint, ad excretionem quoque, si ea fuit illius indoles ac habitudo, physice disposuerint, & vel sponte vel medicina adjuncta foras eliminaverint. Et in hoc decantata illa natura autocrata ac virtus medicatrix consistit, quam Medicus excedentem compescit, languentem excitat, ordinatam vero moderatur & imitatur. Licebit quoque interdum in difficillimo aliquo phænomeno naturam, ad generale conceptum designandum, allegare tantisper donec experimenta anatomica nodum solvant, v. g. dum modus & via mirabilis ejusdam metastase os. criticæ vix dum hariolando describi queunt. Jam vero concludo, quod si corpus nostrum ex morbis absque medicina interdum eluctetur, non hoc provido euidam principio animato intus in nobis contra causam morbi militanti, deque ea triumphanti; sed Conditoris adorandi Sapientiæ ac providentiæ ascribendum sit, qui tam in oeconomia Gratiæ quam etiam Naturæ bonum e malo sapienter educere novit; & ita corporis nostri mechanismum adornavit ac instruxit, ut in ea morbus unus nonnunquam medicina alterius esse possit, & sæpe morus morbi a causa morbifica physica producti & exacerbati; eandem vicissim sub hac exacerbatione subigant, desuntiant, corrigant; etiam si ejus & viarum aptitudo adfit expellat. Id vero physice fieri ratiocinium anatomico - mechanicum compluribus in casibus facile demonstrat.

strare valet. Ex his jam æquus lector judicabit, 1) annon injuria foret, Medicum Sententia §. III. additum contemptorem & persecutorem *naturæ* appellare, eo quod *naturam* corporis vivi ejusque phenomena *naturalia* per causas *naturales* & *physicas* potius explicare malit; quam per *metaphysicam speculationem* seu abstracti & abstrusi plane sensus vitalis, militantis, luctantis, animose insurgentis, interdum plane concitati & furentis, sæpe etiam stupor facti; cessantis, trepidantis, se abstrahentis & quasi aufugientis actus; aut archæorum Helmontianorum velitationes facilius a Comico quam Medico præfigurandas? 2) Annon eidem Medico, ut pote *naturam* & ejus phenomena per causas *naturales*, adeoque *naturaliter* necessarias & *constantes* explicanti; magis necessum & utile sit naturam cum omnibus suis effectibus & mutationibus sedulo rimari, observare, addiscere ac imitari; quam ei, qui mox in limine Medicinæ principium quoddam animatum, adeoque *liberum* omni momento *mutabile* & desultorium in ideis suis conceptum assumit, & in negotium vitale invexit ac præsevit?

§. LXXXIV. Quandoquidem vita, sanitas, morbusque eorum effectus non ex lubitu aut tumultuaria quadam mox *excessiva* mox *remissa* principii cujusdam animati æstimatione, & tyrannide; sed ex causis *physicis*, motuumque, microscopiorum legibus dependeat, & modo decenti, statique solidorum & fluidorum præsentis congruo peragantur. Ideo patet *Medicinam rationalem* facturo nihil magis necessarium esse, quam accuratam in corpore humano status tam naturalis quam p. n. *cognitionem*

historicam multiplice veterum æque ac recentiorum observatione fideliter consignatam, & per causas suas manifestas *physicas* recta ratione explicatam ac sussultam familiarissimam sibi reddere. Status siquidem *sanus* perfecte cognitus est norma & *Cynosura* Medici, juxta quam non modo intelligi, quomodo Hygieinæ & Prophylaxis ordinari debeant; sed etiam præsentem affectionem morbosa, conditionem requisitæ ad sanitatem necessariæ absentem, vel illi contrariam præsentem, facile detegere potest; & deinde in Therapia cum cæca empiria non tumultuatur, sed rationaliter in eo desudat, ut statum p. n. ad prægressum naturalem individuo morbido proprium decenter reducere queat, *Historia v. status p. n.* in singulis morbis multa veterum observatione locupletata, ast industria recentiorum, Anatomia, Mechanica Physicaque explicationi ac demonstrationi stilum & fundamentum porrigentibus, accuratius explicata, exacte cognita, Medicum sapientem facit, ut *anamnesin*, *diagnosin* & *prognosin* feliciter invenire, morbumque præsentem arte humana superandam *cito, tuto, jucundeque* congruis auxiliis tollere; & sic rationalis Therapeutæ partes cum summo proximi sui commodo implere queat.

§. LXXXV. Quoniam *diversi* eorundem medicaminum effectus non ex morali principii cuiusdam animati æstimatione, sed ex *diversa* corporum, quibus illa applicantur, habitudine §. LXXXI. explicari debent, ideo proxime necessarium est ut rationale Medicinam facturus non modo *Therapia generali*, sed etiam *individuali*, seu cuiusvis individui ægotantis naturæ accommodata, instructus esse debeat. Deinde non modo a *priori* per examina chymica, sed maxime etiam a *posteriori* per multiplicem ac solertem experientiam, & providam in diversis subiectis ac circumstantiis applicationem, remediorum quibus utitur, principia, vires, modumque agendi sollicite cognoscat. *Empiricorum* turba ea temeritate artem facit, ac si omnibus corporibus semper & ubique eadem conditio ac habitudo, & medicaminum effectus semper iidem seu *absoluti* forent. Imo quibusvis fere hominibus extra professionem Medicinæ rationalis constitutus ea vulgo, dolenda sane nec facile eradicanda, sedit opinio, quasi remediorum virtus per propriam experientiam vel

vel alienam traditionem semel atque alias observata, *absoluta* foret; unde sæpius dum ca-
 pia vel præcipiti quadam iuvandi intentione aliis aut sibi, nullo ad causas morborum & di-
 versam ægotantium rationem habito respectu applicant, officiosum errorem funesto seri-
 us ocyus tegeandum tumulo committunt. At vero Medicus *rationali Theoria & Therapio*
 instructus omnes conditiones ad vitam & sanitatem requisitas intelligit, unde defectum ea-
 rum ex morbo præsentè cognito perspicit, & ex intellectu defectu inde morbi necessario
 consequentis indolem iudicat & æstimat, etiam in casu hæcenus invisio vel inaudito non
 desperat aut præceps ruit; sed memor moniti Galenici quod *Medicina perpetuum sit ju-
 dicium*, ex analogia observatorum & cognitorum antehac, salutariter deliberat. Firmas
 igitur ac rationales format *indicaciones*, juxta quas *indicata* seu remedia selecta, pauca,
 proficua, & a priori quantumpote, & a posteriori per fidelem experientiam clinicam
 tempestivo usu cognita ita deligit, & præparat, eaque serie ac dosi ordinat; prout causæ
 morbi, symptomata (quorum leviora minus attendit, utpote superatis causis sponte evan-
 escencia) urgentia & vitæ periculosa, individui ægotantis natura, morbi initium, incre-
 mentum, acme, declinatio, effectus secundarii metuendi, & cætera quæ ægrum circum-
 flant singula severo scrutinio indaganda, svadent: *ἐπιεικῶς* therapeuticam seu opportu-
 num medendi tempus minime negligit; pharmaca non facile & desultorie mutat; impo-
 fluram curæ palliativæ defugit; valentiora, heroica dicta, non nisi urgente necessitate
 ordinat; insida vero & drastica haud propinat. Verum totus in eo desudat ut consiliis
 & auxiliis appropriatis, in tempore datis, temperatis, satis tamen efficacibus, causas tol-
 lere, morbum eradicare, materiam crudam præparare & coctam eliminare ea methodo
 & ac via, quam *vires vitæ* sæpe commonstrant, has vero præsentès omni modo tueri & de-
 jectas iusto ordine ac tempore erigere, excedentes autem moderari, consecraria prava præ-
 cavere, circulum sanguinis in quo vitæ cardo versatur æquabilem reddere, omniaque ad
 statum sanum tanquam Cynosuram dirigere & absolvere, ac denique congruam dietam
 & præservationem a recidivis præscribere valeat. Et in his consistit verum curandi area-
 num, non in *circulatorum panaceis*. Et hoc est fidelem *naturæ ministrum* esse. Hinc etiam
 patet *empiriam & Artem* multis parasangis ab invicem distare, illam generi humano sæpi-
 sine inutilè imò funestam; hanc vero utilissimam, saltem nunquam noxiam, esse.

§LXXXVI. Equidem Medici qua stricte talis *obiectum* immediatum est saltem *corpus visum*.

Unde Veterum quidam non plane temere dixisse videntur, quod Medicus animam doctè igno-
 rare possit. Medicina enim ius corpus agit, neque illi directè in animam potestas data est;
 neque ullus Medicorum mutata mentis humanæ conditionem, eamque sanitati utilem vel
 noxiam fore intelligit, nisi ex effectu physico corporeo qui illam ex lege unionis consequi-
 tur cognito; neque est possibile physica ex penu Pharmaciæ remedia animæ, utpote immate-
 rialia, applicare, imò nec necesse; corporis enim organici statum determinatum, determi-
 nata mentis conditio individue consequitur. Dum ergo Medicina necessarias & consuetas
 corporis functiones conservat, vel amissas restituit, eoque mentis quoque conditio statui sano
 corporis respondens ac congrua conservatur, vel immutata iterum restituitur. Nihilomi-
 nus *totus Homo*, ut rectè Heurnius iustit, p. 58. monet, Medicinæ obiectum est; in illo es-
 nim anima & corpus adeo arte unita sunt, ut in invicem, ex necessitate unionis, mutua
 commoda vel incommoda subinde inevitabiliter redundent; eatenus igitur Medicus etiæ
 animæ operationum, affectionum ac conditionis rationem in Praxi habebit, ut quæ corporis
 salutis præjudicant, intelligat & exulare jubeat. Sane enormes animi affectus inprimis
ira, terror, profundus moror, item intempestivæ per nimias luebrationes ac meditationes
animi fatigationes, miram in pervertendo ac destruendo functionum animalium, vitalium
 & naturalium statu naturali efficaciam habent, & impotentibus affectuum servis serius ocy-
 us tumultum aperiunt. Sæpe vero fit, ut damna gravia ab animi affectionibus in corpus

re.

redundent, eaque jam nata illas vicissim provocent, foveant & exacerbent; unde plerumque videas ægotantes levi de causa adeo in præcipientis animi affectus rapi. Jam vero Medicina, affectuum effectus corporeos pravorum, per noxam suam in sensus incurrentem, Medico manifestatos, non secus ac effectus causarum pure materialium remediis physicis expugnare allaborat. Causis vero ipsis affectibus nempe, vel absoluta eorum divagatione, vel contrariorum salubrium ac licitorum affectuum excitatione, remedia moralia ex Sacris & Ethicis depromenda, opponenda erunt.


§. LXXXVII. Jam scopo Thematis nostri asserto, methodum ac officium ejus, qui Medicinæ rationali operam navaturus est concludere licet. Nimirum necessum est ut ante omnia methodo accuratationeque Geometrarum animus imbuatur; hi enim sunt qui bene distinguere, definire, dubia a certis discernere, nihil quod non satis demonstratum est pro datis assumere, & impetum precarias hypothesen in cerebro committendi & pro effectuum causis venditandi compescere jubent. Unde etiam Hipp. Princeps Medicorum in literis ad filium suum Tesselum datis *Aritmeticae & Geometriae* studium serio eidem commendat. Deinde Experimenta Mechanica, Physica atque Chymica, una cum suis rationibus, & Legibus motuum corporibus a summo Numine dictatis excolenda sunt. Animus jam sic instructus a divertis diversarum Hypothesen, multo licet saepe cum strepitu surgentium, & mordace in dissentientes licentia (quod desperatæ causæ indicium est) grassantium, serius tamen oculus cadentis um factionibus haud facile in transversum agetur; quo minus Medicinam puram, castam, & a *Sectarum præjudiciis* liberam ingredi queat. Cum vero hæcenus nihil nisi generalia quedam *media* Medicinam facilius tractandi, intelligendi & demonstrandi possideat & saltem, quid corpori humano cum aliis commune sit corporibus, intelligat. *Subjectum* vero seu *materialiam* tractationis & demonstrationis nondum habeat, h. e. nondum sciat quid objectum suum singulare seu corpus vivum sit, quid & quomodo agat in utroque statu, a quibus juvetur, conservetur, lædatur, restituatur, destruat? Hinc prout Geometræ sedulo *data* sibi colligunt: ita ipse omnia in corpore vivo, sano, morbo, & mortuo, phænomena in simplicitate & connectione sua (quo nomine immortale per omnia secula Cœus Senex commuerit nomen & imitamen) perlustrat. Seu ex Antroposomatologia, Physiologia, Pathologia Semiotica, Hygiene, Therapia atque Praxi clinica eorum, qui Theoriam Medicam non præcipiti aut ambigiosa ad consummandum festinatione (quod commune iis est vitium, qui hypothesen vel hypothesen potius simulacra sectantur) sed accuratè omnium observationum ac casuum collectione & æstimatione, nec non longa meditatione atque acri judicio condeunt, objectum suum difcat & cognoscat. Tum observata hæc phænomena, & ex eorum nexus vel differentie æstimatione, sufficienti inductione & analogia stabilitas motuum microcosmicorum leges combinando prudenter cum illis *demonstrationum principis*, quæ ipse non finxit; sed ab eo qui secundum *Sapientie* effatum, *omnia numero pondere & mensura constituit*, facta invenit; adeoque cum Medicina Empirica Philosophicam conciliando, & alteram alterius ope perficendo: Medicinam rationalem ac demonstrativam possidebit. Circa ea vero phænomena, quæ nullo ingenii sensuumque fatigio ad suas rationes revocari hæcenus potuerunt demonstrationes lubricas haud obrudet; sed aut tandiu differet donec eas Anatomie, &c. detegat. Aut si ratiocinium suum hæc depromere debeat, illud inter conceptu possibiles & scopo medico faventes hypothesen, non modo illi, quæ cæteris simplicior est, superstruit, bene memor quod ejus, qui omnia condidit, ineffabili sapientiæ repugnet id per plura egisse, quod per pauciora absolvere poterat; verum etiam aliis liberum de illis iudicium relinquit. Interim cum mihi jam nec libeat nec liceat plenam Medicinæ Rationalis, & ejus Cultoris ichnographiam, ex universæ dissertationis collimatione atque analogia, & signanter ex §. III. LXVIII. LXIX. LXXXII. LXXXIII. LXXXV. facile delineandam sistere; colophonem addam ne cancellos exercitii academici longius transgredi videar. Interim spero fore, ut si Lector extra partis unum studium positus dignitatem & amplitudinem Materie attendat, vix me summam dicentium complexum vedum prolixum, fuisse, favorabiliter judicabit.


Uf 1397

ULB Halle
004 111 818

3







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

7.6

POTENTIA ET
IMPOTENTIA ANIMÆ
HVMANÆ
IN CORPVS ORGANICVM
SIBI JVNCTVM.

QVAM

PROPTIO SVMMO NVMINE
EX CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSÆ
FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM SOLENNI CAPESSENDIS
H. L. Q. S. D. Octob. A. MDCCXXIIX.

SOLENNI AC DECENTI PHILIATORVM AC PHILOSOPHO-
RVM VENTILATIONI SVBJICIT

MARTINVS NAGY BOROSNYAI,

TRANSYLVANO - HVNGARVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Typis JO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.